

1  
IOANNIS IACOBI ANDREAE  
IVRIVM DOCTORIS

REGIAE BRITANNICAE SOCIETATIS TEVTONICAE  
MEMBRI EXTRAORDINARIY AC REGII INSTITVTI HISTORICI  
MEMBRI ORDINARIY

DE IVSTA  
**DELICTORVM**  
ET POENARVM  
QVANTITATE  
COMMENTATIO



---

FRANCOFVRTI ET LIPSIAE  
IN OFFICINA ANDREAEANA  
M DCC LXVIII

Kp 3566

БАБИДА ПРОСОДА ГИИНАОТ  
СІГОДОДНІИ МУПУІ  
БАБІДА ПРОСОДА ГИИНАОТ  
СІГОДОДНІИ МУПУІ  
БАБІДА ПРОСОДА ГИИНАОТ  
СІГОДОДНІИ МУПУІ

ДЕЛІСТА

МУЗОДІСТА

*Aut facta puniuntur, ut furtæ cædesque: aut dicta, ut convicia et  
infide advocationes: aut scripta, ut falsa, et famosæ libelli: aut consilia,  
ut conjurationes, et latronum conscientia: quoisque alios juvisse  
secleris est instar. Sed hæc quatuor genera consideranda sunt septem modis:  
Causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate et eventu.*

L. 16. ff. de Poenis.



САСИА ПІЛАНІСМАРІ  
СІАСЕВІЧА АЛІСІО МІ  
МІЛУКА ОДІ МІ

## P R A E F A T I O.

Singularis Marchionis BECCARIA de delictis et poenis libellus (*a*) tantam sibi apud nostrates aliisque originis gentes conciliavit admirationem, ut non nisi laudatum et summo applausu a magni etiam nominis Iureconsultis exceptum videas. Neque etiam tantæ celebritati atque ingenio illustrissimi auctoris quidquam detraxeris, si nationem, si gentem, si materiam quam sibi sumsis elabordam et excellens denique scribendi propositum intueraris. Quod si vero nova nondumque audita, nihil nisi argumentis inconcussis suffultum ac numeris omnibus absolutum protulisse Marchionem afferas; ultra sortem fere humanam illum extollere et in Germaniæ decora tot tantosque præstantissimos viros injuriis esse videris. Quæ enim de diversa poenarum qualitate atque aptitudine pulcherrime et verissime differit, jam diu apud nostrates nisi trita, satis tamen cognita sunt, licet ad usum et praxin forensem nondum deducta deprehendantur. Quidquid autem ad quantitatem delictorum et poenarum attinet (*b*), non multa solum confusa et manca reliquit, extremis enim

CAPUT I

labris

(*a*) Dei delitti e delle pene 8.

(*b*) Vide sis §§. 6. 7. 8. 12. l.c.

labris materiam hanc ob difficultatem, quam sensisse fate-  
tur, gustavit; sed interdum etiam a vero ipsum recedere  
aliquantum satis limatae mentis lCti perspicient. Condo-  
nandum est viro, qui dum rem arduam adgreditur, quan-  
doque dormitat; verum et ille ipse ægre non feret, si quod  
exsculpit συζητα, emendare et latius deducere nobis sum-  
serimus. Diu enim multumque congruam temporibus  
nostris scribendi materiam postquam indagasse; aptiorem  
deprehendere non licuit, quam si veram delictorum et  
poenarum mensuram tam ex legibus a natura animo insitis;  
quam positivis demonstrarem. Rem difficilem nodis suis  
extricandi atque obscuritati lucem affundendianimus nobis  
non desuit: ausis vero si nostris exciderimus; ingenii quod  
nobis inest tenuitati tribuendum id erit. Mathematicam  
in hoc instituto cum celeberrimo BOEHMIO (c) vel inde  
adhibere non potuimus, quoniam unitate metiendis rebus  
moralibus conveniente nondum detecta omnis tractatio,  
ut ut satis docta, ad usum forensem perduci haud potest.  
Hæc, ut æqui judices, quid præstare voluerim, quæque præ-  
stata sint, videant, præmonenda duxi,

## CAPVT I

(c) in specamine primo mathe- motivorum et imputationis deter-  
matico philosophico de quantitate minanda. Marburgi MDCCXL.



CAPUT I  
DE QUANTITATE DELICTORVM.

§ I  
DELICTI DEFINITIO.



Inter tot tantasque dotes, quibus vis divina humana mentem beavit, & potestatem ex duabus, quæ fieri poterant, unum prævia consultatione eligendi, libertatem, inquam, comprehendendi, nemo, nisi sibi ignotus, ignorat. Actus igitur, qui præluciente intellectu & decernente voluntate peragi potuissent, liberorum nomine insigniri & philosophicæ (a) & legitimi-

(a) Illustris ACHENWALL in prolegomenis juris naturalis. § 7. GROTIUS in I. B. & P. Lib. III. c. XI. §. 4. n. 3. & Lib. II. c. xx. §. 31. ARISTOT. moralium Lib. V. c. 10. Non illi igitur actus solum liberi sunt,

mx  
qui intellectu duce fiunt, sed omnes etiam operationes spontaneæ, quæ prævia meditatione ad existentiam perduci potuissent. v. ill. DARIES in Obs. I. N. Tom. I. Obs. XII. §. 10.

A

mx (a) disciplinæ doctores agnoscunt. Quum autem quocunque, quod suscipis, negotio conditionem tuam aut meliorem, aut deteriorem reddas, & quidem ita reddas, ut tu id quoque omittere potuisses; vides, cur & liberæ actiones duas ob causas vel bona vel prava seu pernicioſa prædicari debeant. Abusus ille libertatis, quo perfectiones acquirendæ vel negliguntur vel acquisitæ comminuuntur, foecunda est actionum *illicitarum* mater, quæ *delicta* seu crimina audiunt, si contra legem positivam malum aliquod minitantem committantur (b).

## § II.

FUNDAMENTVM GENERALE QVANTITATIS  
DELICTORVM.

Allata, si tibi ob oculos versatur, notio; duos in quovis criminis animadvertes characteres, mala nempe, quæ ex violatione tux atque publicæ salutis propullulant, seu factum externum, & dein facti hujus a libertate dependentiam, seu annum, quo patratum est. Quum vero rei magnitudo a magnitudine notarum, quibus res constituitur, derivanda sit; bini apparent fontes, criminis quantitatem definiendi, quos hisce præceptis lubuit includere:

I. *Quo plura ex delicto in rempublicam propullulant mala; eo majus est* (c).

II. *Quo fortior est libertatis in facto illicito usus; eo atrocius erit crimen* (d).

Quodvis

(a) Inter tot, qui hanc rem tetigerunt, celeberr. KOCHIVM in jurispr. crim. L. I. c. III. §. 35. laudare liceat.

(b) III. MEISTERVS, præceptor pie venerandus, in principiis jur. crim. Sect. II. P. I. §. I. KOCH I. c. §. 12; qui ENGAVII hac in re nenias false refutavit.

(c) GROTIUS I. c. I. II. c. 20. §. 30. SAM. PVFFENDORF de I. N. & G. L. VIII. c. 3. §. 18. KEMMERICH Syn. jur. crim. L. I. tit. 8. & perill. ESAIAS de PVFFENDORFIN proc. crim. Luneb. cap. 25. §. 46.

(d) GROTIUS I. c. §. 29. PVFFEND. I. c. §. 19.

Quodvis profecto facinus ad ambos hosce cardines relatum, neque nimis exaggeratum, neque deminutum, sed in justa facie apparebit. Id tamen neminem, nisi rei huius plane expertem, fugiet, fieri posse, ut in ordine ad unum quantitatis fontem delictum majus sit, quod, simulac alterum intueare, minus videbitur. Duo igitur sive ejusdem sive diversa indolis crimina A & B si inter se conferas, non exinde statim, quod ex B ingentius damnum, quam ex A progerminet, concludet quispiam, illud hoc esse atrocius, cum magis detestanda hic subesse possit malitia. Äqualia erunt hæc crimina *primo*, si in utroque eadem animi pravitas, idemque damnum appareat; *secundo*, si in priore animi ad animum in posteriori ratio eadem fuerit, atque habitus damni ex B oriundi ad damnum ex A prosectorum. Quibus enunciatis simul patere existimo, qua via eundum sit ad detegendum, an & quatenus hæc delicta inæqualia dici mereantur.

## § III

PRIVS FUNDAMENTVM EX LEGIBVS POSITIVIS  
CORROBORATVR.

Primam, quam posuimus, criminum mensuram, nisi rei natura animo iamiam indidisset; ex legibus tamen positivis facillime detergeretur. Quod ut pateat, neque philosophis otiosis hæc debere videamus, sapientes πραγματικοί ipsaque legislatorum numina de re hac gravissima audire juvavit. Ita enim ICTus Claudius Saturninus: (a) Quantitas discernit furem ab abigeis: *nam qui unum suem abripuerit, ut fur coercebitur; qui gregem, ut abigeus.* Abigeatum vero delictum furto majus visum esse Romanis, patet variis legum capitibus. (b) Eadem ex ratione ob damni nempe dati atrocitatem latrones & graffatores differunt a viarum obfessoribus, (c) qui alterum vio-

landi

(a) In L. 16. §. 1. & 7. ff. de poenis.  
(b) Præsertim ex L. 2. ff. de abigeis.

(c) L. 28. ff. de poenis.

landi quidem, sed non occidendi causa viam occupant (a). In injuria estimanda quantitatem damni sine jure illati a legibus spectari, locupletissimus sponsor & testis est Ulpianus: (b) Re atrocem injuriam haberet, Labeo ait, ut puta si vulnus illatum, vel os alicui percussum. Atque etiam Paulus, alibi obscurus, in re nostra clarissime loquitur: (c) vulneris magnitudo atrocitatem facit, & nonnunquam locus vulneris, veluti oculo percutio. In stellionatu malum illatum delicti pondus augere, non unus est locus legum, sed plures id probaturi (d). Fursum autem simplex prout quinque solidos attingat, five supereret aut inferius sit: magnum aut parvum dici, de eo celebris est Caroli Germaniæ nostræ Draconis constitutio (e). Quare cum læsionis quantitas respiciatur, rei ablatæ valor secundum damnum, quod dominus sentit, non quod lucrum fur inde percepit, taxandus est (f). Et si semel atque iterum furtum fit commissum, utriusque quantitas & rerum ablatarum pretium consideratur, utrum sibi invicem adjecta quinque solidos attingant. Tandem si constitutiones quoque provinciales utrum eidem inhærent arguento, interrogaveris, facilissima ad quæstionem erit responsio, quum damni enormitatem in decoctione, in incendio culpoſo, in incendio sylvæ vel ericeti, atque in residui crimine, Regis Magnæ Britanniæ atque Electoris Hannoverani leges varia id suspiciant (g).

## §. III

(a) CARPOVII Crimin. P. I. qu. 40. 36. & seqq.

(b) In L. 7. §. 7. ff. de injuriis & famosis libellis.

(c) L. 8. ff. eodem.

(d) L. 36. §. 1. ff. de pign. act. & L. I. Cod. de crimine stellionatus.

(e) Art. CLVII. & CLX, vide etiam

die erneuerte Reformation der Stadt Franckfurt am Mayn. Theil X. tit. 8. §. 1. ibique celeberr. I. P. ORTH.

(f) Sunt enim verba legis: wie schädlich dem Beleidigten der Diebstahl feyn mag.

(g) Vid. perill. ESAI. DE PVFFENDORF l. c. XXIII. §. 54.

## § III

## DVBIUM E MEDIO TOLLITVR.

Longi in corroborando primo fundamento non suissemus, nisi Lex XIII ff. ad legem Corneliam de Sicariis obstatre videatur. Ibi enim divum Hadrianum rescriptisse refert Callistratus: *in maleficiis voluntatem spectari, non exitum.* Primo autem hoc de exitu feliciori, qui præter malam voluntatem sequitur, intelligendum est. Nimurum qui ad actum proximum delicti accessit, exitusque præter ipsius voluntatem felicior fuerit; nihil feciis poena ordinaria ex hac lege tenetur. Occidendi alterum ut exemplo utar, si voluntas fuit, huncque in finem vulnus inflictum, sed præter spem haud lethale, immo potius perforato ulcere pristina valetudo restituta est: idem sane erit juxta ea, quæ in lege laudata continentur, principia, ac si eventus ille detestandus secutus foret, ideoque et voluntas hæc ordinaria poenæ subjacet. Is etiam, qui eo usque jam processit, ut factum externum plene consummaverit, reipublicæ salutem jamjam perfecte lœsit, licet per casum malorum inde fluentium rivuli extorreantur. Secundo si lex allata ita explicanda esset, ut etiam sine facto externo delictum subsistere queat, nescio qua ratione cum notione delicti ex aliis legum argumentis conciliari possit. Tertio in dicta lege de poenarum quantitate sermo est, quam sine respectu ad eventum damnosum ex mera mentis malitia, qua lœsurus erat civis civitatem, interdum definiri posse, ex infra deducendis perspicietur. Quidquid vero sit, Germani, juris romani alias fatis tenaces, ab ejus hac in re doctrina recesserunt (*a*).

## § V

(a) ERVNEMANN ad L. 16. ff. de Sicar. HARPPRECHT ad §. 5. I. de publ. judic. N. 386. ANTON. MATTHAEI de probat. c. I. n. 36.

## § V

GRADVS DELICTORVM EX MAGNITVDINE  
MALI ILLATI

Quodsi igitur criminum scalam ex priori fundamento construere libeat; duas iterum secernit nota, ex quibus mali illati enormitas dijudicatu est facillima. Neminein etenim instituti nostri gnarum latere potest, damnum eo esse atrocius:

I. *Quo plures eodem opprimantur, eo que se afflictos querantur;*  
 II. *Quo plures atque insigniores perfectiones eripiantur (a).*  
 Summum igitur gradum, si prius fundamentum respexeris, delicta obtinent, quæ universam mortalium gentem a Deo t. o. m. infinita sapientia cui imperatur, bono aliquo privant; proximum ea, quæ magnam civitatis illius divinæ partem utputa singularem quandam rem publicam; deinde sequuntur quæ ecclesiam aliasque universitates & civium congregations perturbant; agmen autem tandem claudunt ea crimina, quæ singulis hominibus tranquillitatem aliudque, quod ipsorum est, admunt. His imbutis notionibus non poteris non delicta *ἀμέως* contra civitatis statum publicum admissa, uti perduellionem, crimen læsa majestatis & quæ sunt cætera, iis, quæ

(a) Non sine negligentia GROTIUS l. c. P. II. c. 20. §. 30. n. 1. immo etiam SAMVEL PVFFENDORF in I. N. Lib. VIII. c. 3. §. 18. hos duos fontes non distinxerunt, & nihil tamen minus mala ex utroque promanantia tanquam ab eodem descendant, inter se contulerunt. Verum quis nescit, non ea stricte dama, quæ plures tangunt, iis, quæ singulis inferuntur, atrociora esse. Dici potius fas est, unum idemque malum pluribus inflictum majus esse, quam si paucioribus inferatur: non

vero ne ulla quidem distinctione adhibita, quovis alio non adeo multos tangent, gravius appellandum censeo, quippe quod in se plures imperfectiones potest comprehendere. Sic si Sejus duo millia thalerorum furto amittat; quid? quod si occidatur, nonne majus videtur malum, quam si quivis ex mille hominibus thalerum unum perditurus, aut levissimum vulnus sit accepturus. In reprehensione vero hac amplius immorari non licet, cum ostendisse errorum sit jam convincere.

quæ privatos tantum singulos lèdent, acerbiora prædicare. Immo inde etiam est, quod blasphemia (a) atque eacum connexa hæresis, sit crimen injuriis, quibus singula membra ecclesiæ proscinduntur, longe atrocius, quippe cum illa pernicies totum invadat fidelium cœtum.

Quod ad secundam autem, quam definiui, notam, attinet dicere; ea crimina reliquis pestilentiora erunt, quæ reipublicæ bonum in se majus ac præstantius admunt, & ideo, quæ majori vi ex parte lèdentis aut majori dolore ac cruciatu ex parte lèsi conjuncta sunt, & quo difficilius damnum illatum reparari potest. Generalia hæc sunt per singularia hujus rei, præcepta jamjam firmanda atque illustranda.

Notandum est igitur, pleraque mala magis minusue astimari pro subjectorum, quibus inferuntur, disparitate quo ad statum, felicitatem, infelicitatem, ætatem, tempora & necessitates, peculiarem affectum, quo in singulare aliquod bonum rapiuntur vel a certa mali specie abhorrent. Sæpe enim

(a) Mala enim quum respicis quæ ex blasphemia sequuntur, alia non sunt, quam quæ ob ~~σκανδαλον~~ reliquis ~~πιστους~~ infliguntur. Nemo etenim facile dixerit, Deo damnum posse infligi, quippe qui ipse bonum summum in æterna atque immutabili omnium voluptatum & perpetuæ beatitudinis possessione non esse non potest. Male igitur PVFFENDORF l. c. ea delicta, quæ adversus Deum committuntur, intuitu malorum inde oriundorum, omnibus aliis, immo etiam his, quæ contra universum mortalium coetum & civium societatem peccantur, prætulit. Conspirant leges positivæ, quas inter ad

Novellam LXXVII. unice provocamus, quæ satis innuit; blasphemiam in republica vel ideo non tolerandam, sed legibus proscribendam esse, quod civitas injuriis in numen divinum conglomeratis ob secuturas inde pœnas damnum sensura fit. Ita enim IVSTINIANVS §. I. propter talia enim delicta & fames & terræ motus & pestilentiae sunt -- & porro §. II. præcipimus -- permanentes in prædictis & illicitis actibus, post hanc admonitionem nostram comprehendere, et ultimis subdere suppliciis, ut non ex contemni talium inveniatur et civitas et respublica per hos impios actus lèdi.

enim dum idem pluribus inferas malum, non erit idem, quum dictæ hæ qualitates sensum perfectionis ademtæ modo augeant, modo vero mitigent. Sic si quis ægrotum, hypochondriacum & sanum equuleo imponit (a), non eundem excitabit dolorem, majusque inferet damnum, qui mendicanti oboolum eripiat, quam qui diviti. Sepotitis autem singularibus, quæ danni atrocitatem mutant, circumstantiis, investigandum est, utrumne alia criminum series, ex bonorum ademtorum diversa præstantia, possit componi. Fons omnium perfectiorum est vita, tum sequuntur membra non vitalia, quorum sine usu aut sanitate vita, nisi miserrima, trahi non potest, quæque iterum ex commodi, quod præbent, nobilitate dijudicanda veniunt (b). Succedunt deinde libertas, ac civilis, quam quilibet probus jure exigit, existimatio (c) & pudicitia.

(a) III. MEISTER l. c. Sect. III.  
c. 19. §. 7.

(b) vid. ISOCRATES contra LOCHITEM.

(c) Quod ad honorem externum seu aliorum de perfectionibus nostris judicium attinet, inter ea referatur, quæ subsidorum ad bene beatitudine vivendum vice funguntur. Summis igitur malis ejus privatio accensenda erit, si fiat a personis, quæ de existimatione civili decernendi jus habent atque potestatem. Levius autem damnum erit, si privatorum quispiam sine iure male de nobis sentiat, idque factis suis declarat. Sed & hic erunt gradus damni, quum injuriosum alterius de nobis judicium pro iis, quæ nos circumstant, rebus, modo multas, modo paucas, modo nullas plane consequentes noxias producat. Illo in casu etiam

leges civiles criminales. v. C. C. C. art. CXXXX. interdum defensionem contra injurias reales pro moderamine inculpatæ tutelæ habent, si quis salva existimatione, uti v. c. miles, fugere non potest. v. COCCER ad GROT. Lib. II. c. 1. §. 10. Aliis autem in rerum connexionibus turbatio famæ tanquam levissimum malum æquo animo ferenda est. Sic egregia herorum veterum erat sententia, quibus nullum majus generosæ mentis indicium visum fuit, quam injurias & contumelias ferre posse, justissima ratione; illi enim virtute sua freti facto ipso famam adversari refellunt & rebus suis gestis hominum judicia convincunt, exemplo q. FABII MAX. qui non men cunctatoris quod convitti fuit, tam splendidum & illustre sibi regesta reddidit (apud Liv. 22. c. 29. seqq.)

citia, (a) postea autem jura ex matrimonio quæsita, (b) & ultimum denique locum occupant luxæ cuique facultates, bonorum

seqq.) & Caji Marii, qui nulla se oratione lœdi posse, publica oratione professus hanc causam addidit: *quia falsam (famam) vita moreisque mei superant,* (apud Sallust. in V. Iugurtha c. 25.) sic & tres Imperatores, Theodosius, Arcadius & Honoriusr, in L. unic. C. si quis imper. maledux: *Si quis modeſtæ nescius est pudoris ignarus, improbo petulantique maledicto nomina nostra considerit laceſſenda* -- eum poenæ nullum subjugari, neque durum aliquid neque asperum (volumus) sustinere: quoniam, si id ex levitate proceſſerit, contemendum eſt; si ex inſania, miferatione dignissimum: si ab injuria, remittendum. Adde ſis

VALER. max. L. 5. c. I. n. 2.

(a) Haud pauca ſunt, quæ ad corroboracionem atque illustrationem gradus, quem pudicitia affignavimus, faciunt. Ita enim Livius L. I. c. 58: *quid salvum eſt mulieri amissa pudicitia?* Ita Seneca de beneficiis l. I. c. XI. *proxima ab his ſunt, fine quibus poſſimus quidem vivere, ſed ut mors potior ſit tanquam libertas et pudicitia et mens bona.* Ita Paulus ICtus Lib. V. Sentent. tit. 13, ibique Cujacius: *pudorem tali facinore recte defendi,* (dixit), et porro: *qui latronem eadem ſibi inferentem vel alium quemlibet ſuprum inferentem occiderit, puniri non placuit.* Alius enim vitam, alijs pudorem publico facinore defendit.

Idem statuit Imperator Hadrianus, referente Marciāno in L. I. §. 4. fl. ad L. CORN. de ſicariis, ubi: divus Hadrianus reſcripsit, eum qui ſtuprum ſibi, vel ſuis per vim inferentem occidit, dimittendum. Licet igitur cum Chariclea apud Heliodorum talem interfectionem vocemus ἀνύντας τούτης τῆς παραπομόνης υπέρευσ, juſtam defenſionem ad arcendam injuriam in caſtitatem, non tamen id inde efficitur, pudicitiam vitæ plane adæquare, quod vult GROTIUS l. c. L. II. c. I. § 7. Conveniunt in eo, quod utramque cum interneſione turbatoris defendere poſſimus. Nonne vero id etiam licet contra eum, qui membra nobis muſtilare intendit?

(b) PHILo IVDAEVs de decalogo et de ſpecialibus legibus præceptum de adulterio anteponit præcepto de homicidio. Quanta autem huius rei ſi falsitas, facile eſt perſpectu, cum laeti conjugalis thori et vitæ, ad ſe invicem nulla plane fit ratio. Grauius vero adhuc errat FELIX ACCOROMBONVS in annot. ad II. Rhetor. ARIST. damnum furto datum laefioni ex adulterio oriundæ antehabens. Etenim metaphorice adulterium furtum quidem eſt, ſed non ſimplē ſacrilegium dictum in L. 30. C. ad L. IVL. de adulter. & damnuſ dat irreparabile: at furtum proprie ſumtum eſt rerum extēnarum, quæ reſtitui vel refarciri poſſunt.

## B

rum acquirendorum subsidia. Qui cum sit verus bonorum in se consideratorum ad se invicem habitus, quemque Carolus noster in Nemisi (a) ipse agnovit; (b) dubitare vix poteris, damna, quæ ex vita, membrorum sanitatis, libertatis, existimationis civilis, pudicitia, fidei conjugalis & facultatum externalium privatione, aut etiam ex impedimento, quo minus acquirantur vel conserventur, originem trahunt, eadem ratione inter se differre, qua bona enumerata differunt et subinde decrescent.

Quum porro, uti satis ostendisse videatur, malum in delicto oriundum eo majus sit, quo plures contineat imperfectiones; delictum, quatenus consummatur, majus erit, quam si ad plenam maturitatem non perveniat; et si posterius, eo fit perniciosius, quo ulterius processerit (c). Quod autem delictum omissivum delicto commissivo, si damnum inde oriundum respicias, levius sit, vix nos cum Farinacio in quæst. crim. qu. XVIII. n. XXII. aliisque pristinæ ætatis doctoribus affirmabimus. Quæ enim hujus sententiæ ratio? Utrumne ex omissione qualibet minus damni resultat, quam ex reali virium applicatione? An quod ad moralitatis considerationem differentia adsit, infra scrutabimur.

## § VI

præparantia antecesserint, vel quia delinquens in ipso actu delinquendi fam constitutus fuerit, vides, cur modo delictum *attentatum*, modo *inchoatum* seu imperfectum audiat; atque illud levius, hoc vero gravius sit, et cur posterioris pro multitudo actuum, qui factum externum efficiunt, rursus varii cogitari possint gradus. vid. G. L. HERTZOG, diff. de criminè conatus lenæ 1735.

(a) Art. CXXXX et CL.

(b) Gradus hos etiam a praxi agnisci, vix negabunt illi, qui non sint, quid Doctores juris criminalis de variis prenarum generibus differunt, quos inter ad ill. KOCHIVM l. c. L. I. c. VII. provocamus.

(c) Vid. C. C. C. art. CLXXVIII. ibique KRESS p. 663. ill. MEISTER l. c. p. 23. et KOCH L. I. c. II § 26. Quum autem conatus ille delinquendi vel ex eo pateat, quod delictum

§ VI  
AN MORALITATIS GRADVS POSSINT COGITARI?

Alterum, quod definiendæ quantitatis delictorum posuimus, fundamentum est usus libertatis; qui autem an major minorve esse queat, ex intima philosophia, et legum nostrarum penetralibus hauriamus. Legitima, seu Stoicorum philosophia questionem negat, atque omnia delicta, si a danno dato discesseris, esse æqualia (*a*) pronunciat. Quum enim peccare nihil aliud sit, quam transfilire lineas, ad augendam transgressoris culpam nihil pertinere ajunt, quam longe ab aliquo progressio facta sit in delicto, si semel sit facta transgressio. Quidquid enim peccetur, perturbatione ordinis atque rationis peccari: semel autem perturbata ratione et ordine nihil posse addi, quo magis peccari posse videatur. (*b*) ICtorum quosdam idem sensisse patet exemplo. Auli Ofili et C. Trebatii Testæ, qui in L. 21. pr. D. de furt. totius acervi furem esse pronunciant, qui unum frumenti modium de acervo sustulit. Omnes tamen, quæ allegantur hujus rei causa, nihil aliud evincunt, quam quibuscumque delictis communem esse formam, scilicet factum quoddam externum legibus contrarium. Inde philosophia hæc neque publici fuit saporis, Horatio teste, (*c*) neque Ulpiano ea arrisit, qui lege citata

(*a*) Ita enim HORATIVS L. I. ep. XVI. v. 55. ait

Nam de mille fabæ modiis quum surripis unum,

Damnum est, non facinus mihi pacto lenius isto.

(*b*) cIC. 4. Parad. et pro Mil. dum comparat vitam Africani cum morte CLODI.

(*c*) Sic enim I. Serm. Satyr. 3. v.

96. seq. refutat delictorum æquilitatem

Quis paria esse fere placuit poecata laborant,

Cum ventum ad verum est: sensus moresque repugnant,

Nec vincet ratio hoc: tantumdem ut peccet idemque

Qui teneros caules alieni fregerit horti.

Et qui nocturnus diuum sacra legerit; adsit Re-

citata Trebatii sententiam hisce refellit verbis: "sed verum est „in tantum eum actione furti teneri, quantum abstulit" (a). Mirum etiam omnino videri debet, a Stoicis in re, cuius partes augeri minuique possunt, gradus non esse admissos; quatenus occurtere queant, in commate sequente erit demonstrandum.

### § VII

#### FUNDAMENTA DEFINIENDI GRADVS DELICTORVM EX MORALITATE INDICANTVR.

Quum actus liberi demum illi sint, quorum contrarii in eodem, quo sumus statu praecedente consultatione admitti potuissent; vides libertatis applicatae seu moralitatis gradus pendere.

- 1) a contingentia actionis; quæ enim quo major est, seu quo magis penes nos erat omittere id quod egimus, aut peragere, quod omisimus: eo major, cæteris paribus, erit delicti admissi atrocitas.
- 2) a consultatione. Quo enim facilius meditatio facta præcedere potuisset, aut si præcessit, quo clarior fuerit, eo major erit moralitatis gradus.
- 3) a multitudine actuum, in quibus libertas applicata fuit.

Quas axiomata hæc gignant consequitiones, a legibus nostris etiam positivis et criminalibus agnitas, jam in partes dissecta materie ostendemus.

### § VIII

Regula, peccatis que prenas irrogat æquas:  
Ne scutica dingo horribili sectare flagello,

(a) EM. MERILLIVS L. II. obs. c. V. IO. SAM. HERING de Stoica Ictorum veterum jurisprudentia, Obs. XXIII.

## § VIII

PRIVS FUNDAMENTVM IN §. PRAEC. STABILITVM  
ENVCLEATVR.

Agamus igitur primo de quantitate delictorum ex contingentia ipsorum profluente. Primaria est libertatis nostræ affectio & quæ immediate ex ipsis natura emanat, quod, si ejus internam constitutionem intuearis, ad fixum, certum atque indeclinabilem agendi modum non sit adstricta, et quod hæc, ut ita dicam, indifferentia per externum aliquod subsidium penitus e medio tolli ac extirpari nequeat. Actus quidem corporis externi ab aliis, non consentiente voluntate, ad certum finem possunt dirigi, sed animi nostri vis, judicium, eligendi et decernendi potestas manet inconcussa. Ex breviter deductis itaque patet, contingentiam actionis eo majorem esse, quo minus per causas externas aut internas naturale illud æquilibrium tollatur. Iam vero animadvertisimus, voluntatem quandoque ab imminentibus gravissimis malis & quæ communem animi humani firmitatem iudicantur excedere, ita vehementer urgeri, ut in aliquod suscipiendum consentiat, à quo extra illam necessitatem constituta quam maxime abhorrebat. Quia tamen semper adhuc competit electio, quæ inter malum propositum et patrationem actus injuncti supereft, illum mixtum ex spontaneo et invito dicunt. Patet inde regula:

*Delicta mere voluntaria, atrociora sunt mixtis.* Major enim ibi, quam hic agendi contingentia supereft.

Dicit autem quispiam delictum mixtum cogitari non posse? Sed quæro, an non collisione hac existente aliquis malum majus minori præferre, ideoque aliquid suscipere queat, ad quod omittendum etiam malo isto sublato stringebatur? Si quæ, ut exemplo utamur, à latronibus, in quos incidit, adigatur, ut vel centum solvat, vel stuprum patiatur, nemo pudicitiam

ipse publicantem penitus excusabit, licet non adeo delinquit, quam si ultro, aut mercede oblata, in illorum applexus rueret. Nec hic tamen eodem omnia modulo metienda sunt, sed magis minusque in collisione potest peccari. Quo enim major est differentia, qua malum, quod preferimus, illud, quod evitamus, excedit, eo gravius erit delictum hocce mixtum. Non solum porro in exceptione, qua in casu a nobis substrato necessaria videtur, vitiis aliquid admitti, sed et lex qua violatur, magis laedi poterit, quam quidem pro necessitate, qua urgebat, requirebatur. Pertinet ad hanc materiam C. C. C. art. CLXVI. Si quis enim famis violentia adactus, quam vel ipse, vel liberi uxorque ejus sufferunt, esculenta in tali quantitate furatur, ut furtum magnum manifestumque concurrat, statuetur de illo ex consilio prudentium. Nec enim famis necessitas furtum magnum pro necessario veluti remedio requirit, sed pauciorum rerum occupatione fami interim toleranda consuli potest (a). Fundamentum graduum, quorum delictum etiam in hoc casu est capax, latet in sequenti propositione: *Quo magis aliquis in exceptione in se haud culpanda modum excedit, eo magis delinquit.* Qui centum furatur, dum quinque sufficerent, omnino pejus committit factum, quam qui decem abstulit.

## § VIII

## CONTINVATIO.

Alterum, quod arbitrii aequilibrium tollit, & voluntatem versus unam partem rapit, est peculiaris ingenii dispositio, qua ad certum actionis genus valde proclives reddimur. Pertinent huc generatim omnes stimuli a creatore nobis sapientissime insiti, qui etiam sine nostra meditatione per ipsam nostram naturam excitantur atque ad agendum nosmet propellunt. Provocare nobis liceat ad vehementem istum sefe

(a) KRESS ad Art. 166. not. 6.

conservandi et sobolem procreandi conatum, et satis patebit, id quod stimulis hisce conveniat facilius fieri, quam ea, quæ his opponuntur. Sunt porro quidam agendi constus, omnibus quidem hominibus haud communes, qui tamen in singulis hominibus æque, atque in integris nationibus deprehenduntur. In quibus producendis non exiguum vim habere videtur cœli nos ambientis solique genius (a), humorum in corporibus temperies ex ipso senne, atate, victu, aëre quem respiramus, valetudine, studiorum ratione aliisque causis proveniens, conformatio organorum, queis animus ad functiones suas obeundas utitur, et similia (b). De quibus autem omnibus id tenendum est, non esse tantam earum vim, ut voluntas nullo modo in diversam partem pertendere queat, quatenus ad actionem aliquam moralem producendam spectant (c). Et quamquam impetus aliqui ex corporis animique constitutione orti, quo minus existant, aut aliquem in actum erumpant, per voluntatem prohiberi quandoque non posse videantur;

(a) LVCANVS L. 8. emollit gentes clementia cœli. HERODOTVS CALLOPE: natura comparatum est, ut e mollibus regionibus molles viri existant, neque ex eadem terra admirandæ fruges et egregii bello viri gignantur, vid. etiam CHARRON DE LA SAGESSE L. I. c. 42. SENECA de ira Lib. II. cap. 18: morum varietates mixtura elementorum facit, et proinde in aliquos magis incumbunt ingenia, prout aliquius elementi major vis abundavit. GROTIUS in I. B. et P. II. c. 20. § 19. vocat hoc concretionem corporis in animum transuentem.

(b) HOBES de homine c. 13. BACCO DE VERVLAMIO de augmentis scientiar. L. 4. c. I.

(c) De stimulis sine torti hominum generi communibus, sive huic illive propriis, ea est nobis sententia, ut nullum qua talen necessitatem inducere neque ad imperfectionem fluctere statuamus. Propellant ad id, quod nobis statuque nostro in se considerato consentaneum est, et tanquam custodes vigilis rationi additi sunt, ne illa languore torpeat; ministri igitur intellectus, non dominii, obedient, non imperent. Peccant ideo homines, quod conatus illos efficaces et sanguinis jussus folos et semper audiant; neque quovis occurrente casu ponderent, an stimulis obsequium praestare expediat, nec ne. Illustrat. hæc BAYLE ch. XIII. du Tome I. de la reponse aux Questions

videantur; id tamen saltim effici poterit, ut sine vitio erumpant. Elicere inde juvat regulam in applicatione ad facta Ictis minime otiosam:

*Quo magis ad aliquid committendum stimulamur, eo minus erit delictum, quod in perverso stimulum exequendi modo patramus.*

Hoc igitur respectu distinguenda sunt diversæ actes, quoniam suus cuique est impetus. Juventus ad venerem prona:

*Aut enim Deus aut lapis est, qui non juveniliter ardet.*

Media aut virilis actas ad honores adipiscendos quam maxime tendit, senilis vero ad opes corradendas proclivis deprehenditur. Spectanda etiam erit cœli temperies; quoniam omnes gentes, quas sol propior accedit, veneri atque iracundia magis deditæ inveniuntur. Quodsi autem iam arbitrii æquilibrium quodam immutatum sit modo, et ad alteram partem vergat; actus, qui huic opponitur, eo majorem adipiscetur contingentiam ideoque et libertatis magnitudinem.

Patet igitur regula:

*Delictum quod non stimulati perpetramus, majus est eo, quod obedientia stimulo perverse praeflita admisimus.*

Pulcherrime rem expressit ARISTOTELES (Nicomach. VII. c. VI.)

*μᾶλλον ἀκόλασον ἀνέιποιμεν, ὅσις μὴ ἐπιθυμῶν ἡρεμα διώκει, ταὶς ὑπερβολαὶ καὶ φευγει μετρίας λυπας, ἢ τοιστον ὅσις διὰ τὸ επιθυμεῖν σφόδρα. τι γαρ ἀν ἐκεῖνος ποιήσαιεν εἰ προσγένοισο ἐπιθυμίας νεανικῆς*

*sions d'un Provincial.* BARBEYRAC ad PVFFEND. p. 60. verbis: Mais si l'on y fait bien reflexion, on conviendra, que ceux en qui la nature confere un si grand empire, sont

d'ordinaire des gens, qui n'ont fait que peu ou point d'efforts pour dompter leur temperament, et qui n'ont pas pris pour cela les bonnes voies.

*καὶ περὶ τὰς ἀναγνώσιν εἰδεῖς λύπη ἵχυρά.* Minus temperantem dicimus hunc, qui a motu concupiscente aut non tentatus, aut leviter tentatus querit enormes voluptates, aut mediocria incommoda defugit, eo qui vehementi impetu percellitur. Nam quid idem ille facturus fuisse putandus est, si adfuisset juvenilis quædam perturbatio animi, aut gravis dolor ex penuria eorum, quibus negatis natura doleat? Quocum convenit illud ANTIPLANIS (a): *Qui cum sit opulens, nequiter quam facit: bunc si esset pauper, quid non facturum putas?* Crimen stimulo contrarium majorem agnoscit moralitatem, quam quod nullo interveniente conatu ad effectum est perductum. Merito inde etiam increpatur senilis amor, quia impetus et affectus in decrepitis tantus non est, immo potius vires a coitu alienæ videntur. Egregie igitur CICERO: (b) *Luxuria vero cum omni estate turpis, tum senectuti fædissima est. Sin autem libidinum intemperantia etiam accederit, duplex malum est, quod et ipsa senectus concepit dedecus, et facit impudentiorem adolescentiam* (c).

Quam egregie prolata legibus positivis convenient, agnoscunt omnes, qui in jure romano et constitutione Carolina criminali non sunt hospites. Exempla rem illustrabunt. Sane enim ad coëundum, et perverso modo venerem exercendam ut aliquis stimuletur tantum abest, ut averstationem potius quivis, morum luxurie nondum depravatus, sentiat. Si igitur nihil tamen minus ad nefandum hunc et abominandum concubitum accedit, tollere primo et ex animo evellere debet illam averstationem et mentis quasi fugam; quo tandem facto se se ad triste scelus accinget. En igitur rationem, cur

fodo-

(a) Apud STOBAEVM tit. II.

(b) De offic. I.

(c) Cfr. IVVEN. Sat. 10. v. 208.  
OVID. I. amor. 9. pr. VIRGILIVS  
in GEORG. lib. 3. v. 97. de pe-

core quidem generoso, equis nimurum: at in genere de quolibet sene utendum:

*frigidus in Venerem senior.*

C

sodomia, adulterio et stupro, ex tenore art. CXVI. majus dicatur crimen.

Ulterius autem ex hactenus deductis cognoscitur:

*delictum contra stimulos admissum eo fædius esse, quo magis a natura nostra recedit.*

Nec hic nobis illustrandæ materia casus desunt. Manustuprator levius; cum foemina monstrosum coitum celebrans, et semen non in vas debitum immittens, gravius; cum uxore mortua concubens gravissime delinquit: is autem, qui in amplexus bestiarum irruit, omnes fere malitiæ limites excelsisse videtur (a). Ultimum tandem, quod in stimulorum materia annexemus, axioma esto sequens:

*Quo plures stimuli criminis occurrente violentur, eo atrocius erit.*

Inde et septuagenarius ob crimen sodomiæ commissum majorem ostendit malitiam, quam si florente adhuc ætate et viribus, idem patravisset facinus.

## § X

### DE CONSVETVDINE.

Tertium quod libertatis æquilibrium quam maxime imminuere videatur, consuetudinem seu habitum, crebra ejusdem actus spontanei repetitione acquisitum, reputamus. Dici enim vix potest, qua facilitate, immo quo impetu animus in speciem rei, cui adsuevit, oblatam, non subducto calculo an expediat, rapiatur. Quodsi quis itaque ad flagitia assuefactus fuerit, non sine ratione queritur, an facinus inde propullulans minori vitio vertatur, quam si sine consuetudine patratum foret? Discrimine inter initium, inter aggregatum

(a) RESS ad Art. 126.

gatum omnium actuum, unde profluxit facilitas illa agendi quæsita, et ultimum factum, adhibito, respondemus:

I. Actionum, quibus habitus introducitur quæque cum præcedunt, moralitas ex sua ipsarum natura ponderari debet;

II. Majori tamen semper contingentia suscipiuntur, et magis ab iisdem abstinere potuissimus, quam a sequentibus.

Habituum enim principii facultatem tantummodo habemus plenam, incrementi ac finis non item. Additio quippe et incrementum illorum ignoratur, ac non advertitur. Sensus cum ac latenter augmentum accipient atque ulterius aliquando in improbitate ac vitiis progrediantur nonnulli, quam voluissent. Ut in ebrietate ac libidinibus videre licet, in quibus quandoque paullo liberius homines atque incautius progredientes habitum continuatis actionibus imprudenter contraxere (*a*). Quod dicendum restat de moralitate totius seriei, quam involvit consuetudo, infra, ubi de quantitate libertatis ex multiplicatione actus sermo erit, uberior exponetur.

### § XI

#### DE AFFECTIBVS QVATENVS CONTINGENTIAM ACTIONIS INFIRMNT.

Nihil autem libertatis applicationi tam infensum videatur, quam illæ animi perturbationes, quæ ex confusa et sensuali boni malive representatione oriuntur. Ex omnibus, quos

(*a*) Vid. ARISTOT. Nicomach. III. c. 8. verbis: ἐχεισιν αἱ πράξεις ικετοῖς εἰσὶ, καὶ αἱ ἔργαι, τῶν μηνυμένων πράξεων, ἀπ' αὐχῆς μετέχει τέλος κύριος ἔσται, εἰδήτες τα καθ' εκπατα, τὰν ἔργων δί, τοὺς ἄκητούς τῶν καθ' εκπατα δὲ οἱ πράξεις οὐ γνωρίζουσι, ὑπερέ εἰπεν τῶν μέρων. ἀλλ' οὐτε εἰπεν ηγετούς, εἴπος οὐ μὴ εἰ των κερπαροῦσι, διὸ τέτοιοι εἰκότοι. Non simili modo actiones spontaneæ sunt, atque habitus; actionum

enim a principio usque ad finem domini sumus, cum singula quæque cognoscamus: ac habituum principii tantum facultas in nobis est: singularum autem additio non nota, quemadmodum in ægrotationibus, quoniam tamen erat in nostra potestate vel ita, vel non ita, uti; etiam habitus ipsi spontanei sunt.

quos in hac re unquam legi, philosophis, nemo sere rem accuriori diligentia tractasse videtur G R O T I O illo immortalis (*a*). In quolibet enim affectu sibi ipsi gnarus distinguit, τὸ πάθος, τὴν ὄργην καὶ τὴν συγκατάθεσιν. πάθος ipsum seu facultatem, qua irasci, aliumve affectum concipere possumus, tanquam a natura nobis insitum avelli non posse, et esse in rebus mediis, quibus recte aut secus uti liceat. Quia autem pars animi, in qua sunt τὰ πάθη, per se est ἀλογος, inde fieri, ut non exspectato rationis judicio ὄργας sese exferant, quos motus seu impetus, nisi diligenter referentur, solere sequi συγκατάθεσιν, cum scilicet pars illa, quæ data est moderandis affectibus, habenis remissis trahi se patitur. Esse autem συγκατάθεσιν voluntariam, fierique hominis arbitratu. Sed et illos primos motus, quos philosophi comparant oculorum nictibus, ne aut durent diu aut invalescant, diligenti attentione et exercitatione obtineri solere. Quæ cum ita sint, satis videtur elucere primo, affectus utcunque vehementes libertatis vim haud quidquam omnino extinguere: quin illos quoque ipsos, qui imbecilliores animos habent, imperium absolutissimum posse acquirere in omnes, qualcunque habent, mentis passiones, si modo sat industria ad eas cohibendas et dirigendas velint adhibere (*b*). Fallit igitur Medea apud OVIDIUM: (*c*)

Sed trahit invitam nova vis, aliudque cupidus,  
Mens aliud suadet. Video meliora proboque,  
Deteriora sequor.

Secundo autem nec id difficulter a prudentissimo quocunque accipietur, primos illos, ut ita dicam, insultus, animi nostri æquilibrium versus eam, qua tendunt, partem inclinare, ideoque et actum huic conformem faciliorem esse, quam ejus oppositum, unde

### I. De-

(*a*) Ad Matth. c. V. v. 22.

(*b*) Inde CICERO Tuscul. Qu. I.

3. Animorum, ait, omnes morbi et

perturbationes exaspernatione ratio-  
nis eveniunt.

(*c*) Metamorph. VII. 19. seqq.

I. Delicta in perturbatione animi suscepta minorem admittunt moralitatis gradum, quam quæ sedato animo, affectu nullo præcedente, peraguntur.

Egregie confirmatur hæc regula per C. C. C. art. CXXXVII, ubi summa cum æquitate a legislatore distinguitur homicidium ira admissum ab eo, quod non duce animi calore susceptum est, atque hoc illud levius prædicatur.

II. Delicta, quæ per affectum, in quem non nostra culpa incidimus, patrantur, leviora sunt, quam ea, in quibus perturbationem animi plane evitare potuissimus.

Sic in C. C. C. cit. art. Carolus cum cædi ex iracundia commissa pœnam gladii dictitat, sine dubio et ex rationis prudenter interpretatione posteriore casum in mente habuit. Quodsi enim unus alterum, a quo non erat offensus, vehementer offenderit, lacepsiverit atque ad iram furori similem excitaverit, levissimum sane erit delictum, nec poena gladii cœrendum, si causa rixæ perimatur. (a)

III. Delictum affectus, quem aliquis conceperat, contrarium, majus est, quam quod sedato animo, nulla præcedente perturbatione animi, aut saltim huic convenienter susceptum est.

Ratio hujus axiomatis satis clara esse videtur. Animus enim per affectum jam versus unam partem depresso multo facilius ea aget, quæ huic statui convenient, aut omittet plane omnem virium suarum usum, quam ad contrarias partes accedat. Oppositum igitur delicti admissi multo magis fieri potuisset, quam quidem illud ipsum, ideoque et hoc majori contingentia & libertate patratum est.

## § XII

(a) Vid. HRESS ad C. C. C. art. CXXVII Resolut. CCCIII. CXXXVIII. not. 4. ibique cit. LYN-

## § XII

## CONTINVATIO § PRAECEDENTIS.

Hactenus de animi perturbationibus generatim sermonem continuavimus; de quorum erga se invicem habitu nunc dicendum restat. Affectuum enim alii boni oblata specie, alii vero mali imminentis contemplatione cum excitentur; non sine ratione quaestio movetur, utrum illi, an hi fortiores menti addant stimulos? Responsio, quam sequenti regula comprehendimus, a vero aliena non videtur:

*Affectus incundi, injucundi, cæteris paribus, sunt fortiores, ideoque delicta ex illis prognata, atrociora sunt, quam quæ hos parentes agnoscent.*

Longe enim facilius est carere bono ad naturam conservandam haud necessario, quam excipere malum ad naturæ destructionem tendens. Unde, quæ mortis, carceris, magni doloris aut summæ egestatis causa, patrantur, maxime excusabilia videri solent. Hac ex ratione furtum ad avertendum famem minus eo est, quod ex avaritia turpi commititur, minus etiam adulterio ex prava libidine patrato, levius perjurium ex metu mortis conceptum, deposito lucri causa abnegato. Ex tot, qui inter veteres hanc materiam egregie illustrant, Imperator Marcus Antoninus potissimum placet (*a*). Recte enim judicat, graviora esse, quæ per libidinem, quam quæ per iram admittuntur. Nam qui irascitur, cum dolore quodam & contractione animi occulta, à rationis tramite declinare videtur: qui vero per cupidinem delinquit, quia voluptate vincitur, intemperantior quodammodo et in peccando effeminatus videtur. Quum porro eo major sit in animum impetus, quo majus malum, et quo certius illud eventurum esse reputamus; facile concedent viri docti, gradus quoque inter affectus injucundos posse definiri:

Quo  
(*a*) L. II. §. 10.

I. *Quo maius nempe malum, quod nobis mente effingimus; eo minus imputabitur delictum inde proveniens.*

Privatio vita, membrorum, valetudinis secundæ, libertatis, famæ atque facultatum externarum, suppeditant materiam malorum, ad efformandam scalam moralitatis.

II. *Quo major est rationis evidentia, ob quam malum nobis imminere existimamus; eo minus est delictum ad avertendum patratum.*

Eadem fere de affectibus gratis, et delictis ex illis fluentibus, moneri possent, si his rebus, quas digito monstrasse sufficiat, diutius immorari liceret.

### § XIII

#### GRADVS EX ALTERO LIBERTATIS CHARACTERE, NIMIRVM INTELLECTV.

Hactenus de affectibus, quatenus per motum illum primum, quem in animo, versus unam partem, excitant, libertatis quantitatatem diminuunt. Nocent autem etiam alia adhuc ratione, dum intellectus usum infirmant. De quo ut constet, ad alterum meditationis nostræ fundamentum pergimus, quatenus scilicet per nos steterit, de eo, quod egimus, antea consultare. Attentus ad ea, quæ in mente nostra geruntur, dum idea sensuum atque imaginationis ministerio acquisitæ, illis, quas ex reflexione haurire debebamus, adversantur; animadvertis, posteriores semper interrumpi, atque omnes vires esse colligendas, ne intellectus a vera rei facie repellatur. Facilius itaque est rationis usus, dum sensus externi, et denuo generandarum notionum mater, imaginatio, quiescant, quam cum sese per actus exserant. Quoniam vero perturbationes mentis, affectus, inquam, ex sensuali boni malive cogitatione oriuntur, atque imaginatio tunc temporis omnem animalium repleat; vides:

delictum affectu duce perpetratum in hac etiam considerati-  
one levius esse, quam si idem sedata mente suscipiatur.

Egregie iterum ARISTOTELES (a): Unicuique pejor videretur,  
si quis aut nihil aut leviter cupiens turpe aliquid perpetraret,  
quam si vehementi cupiditate affectus ficeret — Quid enim  
ageret, si in affectu esset constitutus? (b)

Hinc etiam ulteriori loco patet axioma:

*Quo minus sensuum externorum illecebræ a delicti com-  
mittendi distincta contemplatione retinuerunt, eo atro-  
cius et v. v. levius erit.*

Satis illustrat dicta AVGVSTIN. LEYSERVS (c), casu, quem  
narrasse non pigebit. Sartor quidam gulæ causa ut mel ligu-  
riret, alveare necatis fumo apibus expilaverat, et mellis, quod  
secum abstulit domum, partem iam comederat, partem adhuc  
affervabat. Necesitas eum excusare non poterat, sed gulæ  
illecebræ, ob quas et annuente PAVLO in L. LIII. pr. de fur-  
tis, factum hoc, furto levius a prudentum consilio reputa-  
tum est. Legum præterea nostrarum criminalium interpreta-  
tio aliam de sensuum in intellectum potestate prodidit re-  
gulam:

*Quo importunior fuit peccandi occasio, eo minus est de-  
lictum admissum.*

Ex qua igitur thesi, quam et Tryphonius in L. LV. §. 1. ff.  
de administr. et peric. tut. tacite saltim stabilivit, atque usus  
fori recepit, ille, qui rem fidei suæ commissam intervertit (d),  
eam non tam invito domino contrectare, quam perfide agere  
vide-

(a) Ad Nicomach. CLXXI. c. 8.

(b) Vid. etiam C. C. C. art. 137.  
& 131.

(c) Spec. 537. m. 5.

(d) Quum hæc delicta leviora pre-

dicemus, unice respicimus occasio-

nem peccandi, minime negantes  
aliam illudem ineffe posse faciem, quæ  
malitiam ipsorum auget. Sic om-  
nino famuli nostri domestici condu-  
ctitii,

videtur. Pertinet hoc ad depositarios, commodatarios, nautas, caupones, stabularios, aurigas, famulos, tabellariorum, si res, quas alio transferendas acceperunt, in suos usus applicant (*a*). Quid autem de furto a domesticis suscepito dicendum erit? Negari sane nequit, majorem adesse furandi occasionem præsertim si videant ii, qui ad familiam pertinent, pecuniam aliasque res quam maxime negligi. Quapropter id non solum ex legum naturalium præscripto, sed ex juris etiam communis regula, levius habetur, quam quod fit ab extraneo. Leges profecto Romanæ ea, quæ diximus, corroborant, quod vel solos textus in L. XVI. XVII. XXXVI. LXXXIX. ff. et L. XI. ac ult. C. de furtis insipientem latere amplius nequit. Quod ad Nemesin Carolinam attinet, hac de re prostat articulus CLXV; cuius intuitu et de expilatione hereditatis jacentis quæri potest. Duæ hic occurrunt hujus rei species totidemque diversa jura. Si quis enim absulit rem quandam, qui non est heres, nemo facile affirmabit, majorem ipsi offerri occasionem furandi domino defuncto, quam dum viveret (*b*). Administratur enim atque custoditur hereditas eadem fere ratione ac aliæ res, quarum possessores sunt superstites. Cum autem coheres ex hereditate sibi pro parte delata aliquid subtraxit, majorem pro hoc factio rationem militare, vel nemo prudentiorum inficias ibit. Referrietiam ad hunc locum potest, si quis rem amissam inveniat, atque explorato domino non restituat, sed, sibi habendi animo, celet. (*c*)

## Tandem

Etiti, quibus hodie utimur, depositari, aliquæ quibus res nostras commisimus, herum, amicum suum, furto lædentes fœdins plane reliquis furibus agere videntur, cum hi fidem suam parti læfæ non lege singulari addixerunt. KRESS, ad art. CLXV. §. 5.

(*a*) C. C. C. art. CLXX. ibique KRESS. LEYSER Spec. 537. med. 20.

(*b*) KRESS ad art. CLXV, C. C. C. §. 1. cfr. etiam tot. tit. ff. de expil. hered.

(*c*) L. 43. ff. de furtis.

## D

Tandem, quoniam non eadem nobis superest consulandi licentia, si ab aliis stimulamur, quam si animus sibi ipsi relictus meditatur, patet nova regula:

*Quo magis ab aliis ad delinquendum incitanur, eo minus est delictum et v. v. majus.*

Sic Carolus V. in artic. CXXII. ipse excusat femellas illas innocentes, (unschuldige Mægdelein, die sonst unverleumde ehrliche Personen sind) quæ a lenonibus in luxuriæ præcipitia feruntur. Quam parvum enim miseris virginibus viduisse superest deliberandi spatium, si modo a Iustiniano in Nov. XIII. descripto, a pessimis hominibus corrumpuntur. Lenones scilicet olim circumibant regiones et loca varia, et venaturam quasi miserarum puellarum exercebant, munulculis oblati illas inescaturi, immo plane sponsores accipiebant, ut meretrices apud lenones remanerent, quam diu his visum esset. Eadem ratione huc referes infanticidium, quod juvenula persuasionibus vetulæ commota, aut parentum jussu misere excitata, admisit (a). Immo nec abludit ab hac re, si quis ad duellum honoris causa suscipiendum ab aliis admonetur, quum persuasions hæ adeo ejus occupent animum, ut sane vera rei consectaria ponderare nequeat.

### § XIII DE EBRIETATE ET MELANCHOLIA.

Ebrietatem vario modo ad delicta committenda facere, neminem quidem fugiet, sed et concedent viri docti, non semper eundem esse temulentia in libertatem influxum. Duo nimirum ejus gradus distinguendi videntur, quorum prior intellectus organa adeo infringit, ut vix munere suo fungi queant. Quocunque igitur in hoc statu suscipias, involuntarium est, neque, quatenus in se spectatur, delictum dici poterit.

(a) KRESS ad art. CXXXI. §. 2. II. P. II. c. VII. §. 16.  
C. C. C. ill. MEISTER l. c. fæst.

poterit. Ob ea tamen, quæ præcedunt, facta, interdum imputacionem quandam oriri, vel me non monente, quilibet sentiet. Djudicatur eam ob rem factum commissum an et quantum crimen sit, unice ex eo, quod præcessit. Quoniam etiam in dubio culpa est inebriari, jura civilia romana ebrium ad damnum resarcendum ex lege Aquilia teneri voluerunt (*a*), immo et causa ebrietatis ac summus ejus gradus pro re nata jurando vel tormentis probari debent (*b*). Quod ad alteram ebrietatis speciem attinet, ea libertatis usum non plane adimit; sed dupli tamen ratione infirmat. Violento enim motu spiritus atque sanguinem dum impellit; ad varia vitia, libidinem cumprimis, iracundiam (*c*) ac temeritatem (*d*) mortales reddit proclives et stimulat. Præterea autem mirum in modum intellectus fabricam atque usum impedit (*e*), cum imaginationis errores egregie sublevet. Satis igitur patet regula:

*Crimen in ebrietate commissum, quatenus ad antecedentia non respicitur, est levius, eo, quod jejuna mente susceptum est.*

Si autem ea, quæ ebrietatem præcesserunt, species, haud raro eveniet, ut moralitas augeatur, quod fieri videmus in illo, qui ea ex ratione temulentiam sibi conciliavit, ut eo crudelius

(*a*) HAHN ad WESENBEC. tit. de injur. n. 4.

(*b*) Perill. ESAIAS DE PVFFENDORF l. c. l. 25. §. 31.

(*c*) V. MANILIVS Afron. L. 5. Ardescit vitio vitium, viresque ministrat

Bacchus, et in flamma fævas ex-fuscitat iras.

(*d*) V. DIPHILIVS Comicus apud HVGONEM GROTIUM in excerptis de Baccho.

- - Tu solus cornua addis pauperi  
Ingenio duro leve tormentum ad-  
moves,  
Suppeditas arma inermi, timido  
audaciam.

(*e*) Inde ISOCRATES ad DEMONI-  
CVM: Cum vero mens corrupta fue-  
rit, idem ei, quod curribus, evenit,  
e quibus aurigæ sunt excussi. Nam  
ut hi temere feruntur carentes gu-  
bernatoribus; sic animus in multa  
delicta impellitur mente subversa.

crudelius delictum committeret. Gradus etiam culpæ major minorve esse potest; prout effectus vini aliisque potus ipsi jamjam cognitus erat, aut minus. Idem, quod de ebrietate haec tenus diximus, illudem fere verbis ad melancholiam aliosque morbos intellectus usum impedientes applicari poterit.

## § XV

DE AETATE DELICTI QVANTITATEM MODO  
MINVENTE MODO AVGENTE.

Quum, ubi usus rationis per deliberatam considerationem vel nullus vel minor tamen, delicta aut plane exulent, aut saltim minora sint; videndum, quatenus ætas hominum diversa, distinctam rei producendæ cogitationem tollat, minuat augeatve (a). Solet autem ætas humana dividi in infantiam, pueritiam, ætatem minorem, virilem et senilem. Infantes, rationis rectæ usu quippe destitutos, innocentia consilii ab omni criminе tuetur (b). Pueri autem pubertatem fere attingentes intellectum jam aliquatenus adhibere possunt, ideoque et annuente lege civili (c) furandi atque injuriæ faciendæ capaces habentur; sed nihilo tamen minus si facinus admiserint, quod grave in aliis est, in illis multo levius haberij debet. Minuitur ergo delicti malitiæve quantitas ob præsumtam a lege intellectus infirmitatem; quam tamen sèpius abesse, præsertim si quis decimum quartum annum fere attigerit, sexcentis exemplis ostendi potest. Quam adeo ob causam ipse noster Minos ait: (d) *Wo aber der Dieb nahe bey vierzehn Jahren alt wäre, und der Diebstahl gross oder obbestimmte beschwerliche Umstände so gefährlich dabey gefunden würden, also dass die Bosheit das Alter erfüllen möchte, so sollen Richter und Urtheiler deshalb auch*

(a) Recte enim monet Saturninus in L. XVI. ff. de penis, §. III. inquiens: "in ejus rei consideratione, ætatis quoque ratio habeatur."

(b) L. 12. ff. ad L. Corn. de siccari.

(c) L. III. ff. de R. I.

(d) C. C. C. art. 164.

auch Raths pflegen, wie ein solcher junger Dieb, an Gut, Leib oder Leben zu straffen sey (a). Ex iis igitur, quæ delictum commissum circumstant, dijudicandum est, an judicii infirmitas in puerò jam exulet. Quodsi ad minorem ætatem respicimus, negare nequimus, lubricitatem judicii præsertim in introitu hujus periodi superesse. Ea igitur de causa Doctores illos, qui annos pubertatis vix egressi sunt, impuberibus annumerant. Quam sententiam utut articulo CLXIII. C. C. C. contrariam, neque a jure naturali neque a praxi, quæ in causis criminalibus benignorem semper interpretationem sequitur, reprobata experieris. De reliquis minoribus non idem statuendum videtur, quum reflectendi facultas de regula haud desit, neque tristissimus delictorum eventus illos latere queat. Confirmant propositum meum leges, quas hue transferre nec incommodum neve ab instituto eritalionum. Sic enim L. VIII. §. II. D. de minoribus: *in delictis minoribus non subveniri.* Lex quoque XXXVII. §. III. D. eodem, de iis sequentem in modum cavit: *in delictis minor viginti quinque annis non meretur in integrum restitutionem, utique in atrocioribus.* Legis autem XXXVI. D. ad Leg. Iul. de adult: verba hæc sunt: *si minor annis adulterium commiserit lege Iulia teneatur, quoniam tale crimen post pubertatem incipit.* Ea tamen, quæ monuimus, relpicunt tantum ætatem, ideoque non excludunt alias causas delictum mitigantes, utputa si sensuum illecebris, aut ab aliis ad patrandum facinus inducatur, vel alias magna simplicitas appareat (b). Aetas virilis, delicta in se neque auget neque minuit, quod et de senili existimandum, quatenus non impedit reflectendi facultatem. Est tamen quidam

(a) Quam thesin singulari quodam casu legis 14. ff. ad SCt. Silanian, quo ætatis puerilis ratio non habetur, in puerò ad pedes domini cunctante nec sicarum prodente, probatam videbis.

(b) Quo de casu sume verba L. 37. §. 3. ff. de min: "nisi quatenus mitseratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem produxerit, nullum

quidam illius gradus, in quo constituti senes repuerascunt, atque ad pristinam juventutis imbecillitatem ingenii redire videntur. Hi igitur cum impuberum simillimi habeantur, juxta sana rationis atque juris nostri (a) doctrinam non tam graviter delinquunt, quam si adhuc in flore ætatis et judicii verarentur.

### § XVI

#### QVATENVS SEXVS, INGENIVM ATQVE EDVCATIO AD MORALITATEM DELICTI FACIAT.

An sexus diversitas intellectus et rationis usum in masculis augeat, in fœminis vero depressura sit, hic disquirere incongruum haud videtur. Quocunque fere tempore egregia in sexu sequiori extiterunt ingenii exempla, quæ satis convincunt, non ad corpus masculino modo constructum cogitatorum excellentiam adstringi, sed in feminis sublimis animi interdum esse domicilium. Generatim igitur si quis afferat, feminas ob intellectus imbecillitatem in minori semper, quam masculos, reatu constitui, ipse fallitur aliosque fallit. Patronis muliercularum delinquentium nihil sane succurrere poterit, quam quod illæ forsitan ad res quasdam, quarum abusus delicta parit, masculis vehementius stimulentur. Sic ad Venerem aliasque res eacum conjunctas proniores habentur, et inde etiam potissimum in jure nostro favorem consequuntur. (b). Præterea homines crassi, cum licti atque

(a) v. L. 108. ff. de R. I. verbis: „ferre in omnibus poenalibus judiciis, et ætati, et imprudentiæ succurritur.

(b) Extat hac de re Auth. sed hodie. C. ad Leg. Iul. de adulteriis, vi cuius adulteria verberata in monasterium mittatur, quam intra biennium viro recipere licet. Quoniam etiam mulierculæ facilius commis-

ratione flectuntur, ex L. 40. ff. de poenis Doctores levius illas puniri colligunt. Reliquæ juris nostri dispositiones, quibus levior feminis dictatur pena a legislatoribus sexui sequiori addictis, potius ob singularem favorem, quam deficiente aut minutam moralitatis quantitatem conditæ esse censemur. Quæ enim ratio, cur in sacrilegio, v. L. VI. pr. ff.

que illiciti principia minus habeant cognita in iisque pondere randis parum polleant; vides, et delicta ab iis patrata non eodem moralitatis gradu gaudere, quam si eadem ab iis susciperentur, quibus major attendendi atque deliberandi est potestas. Quoniam autem etiam hic gradus cogitari queunt, hos definire a scopo nostro non erit alienum. Locum, si a furiosis et perfecte dementibus, quibuscum nihil nobis hic est commercii, discesseris, primum et summum occupant homines *stupidi*, *bardi* et *sæpius* etiam *insani* qui solent appellari. Sunt autem ejus furfuris mortales, qui officiis humanis communibus obeundis non plene sufficiunt, sed *sæpius* crasse contra eadem impingunt (*b*). Difficile est sensu, difficile vero verbis distinctisque characteribus à dementibus illos secerne-

pr. ff. ad leg. Iul. pec. in crimen læse maiestatis parentum suorum L. V. §. I. C. ad Leg. Iul. Maj. Aurea Bulla c. XXIII. mitius coercentur, an quod magis stimulantur ad hæc delicta? Hæc satis efficiunt, ut, si leges nihil diversi quoad sexum disponunt, judex intempestiva mulierum misericordia moveri non debeat. Quod eo verius erit in illis causis, in quibus sexus ratio moralitatem non minuit, sed auget, atque admissum scelus communem feminarum naturam quasi evertit, et audaciam vel malitiam singularem manifestat. Sic feminæ rapient matrem sine discrimin'e ullo mortis supplicium dicitant Doctores; puella quoque juvenem corrumpens et stupro ipsa ansam dans dotem petere non potest; immo uxor persuasionibus et lascivis gestibus ad libidinem alliciens juvenem, hoc gravius erit

coerenda. Vid. ESAIAS DE PVF-FEND. l. c. §. 32.

(a) Huc refer puellam, cuius minuit SANDE Lib. II. tit. I. ref. 10. quæ procis delectabatur, eos undique corrogabat, monetæ species tam non noscebat nec numeros. Dignior memoratu præterea est apud KRESSIVM l. c. p. 588. femina, quam tam stupidæ erat, ut ne ab unitate quidem ad quindecim una serie numerare posset, neque secernere Indicra a feris, ad omnia fere rideret, more parvolorum ad quæstiones proprias respondens. Hæc, inquam, quum infantem, quem enixa erat, limo sepelierat, ad flumen spectantibus e regione aliquot pueris corporis lavandi causa imprudentissime accesserat, nec ulla poenitentia facti patrati in eadem apparebat, nec metus pence aut ulla tristitia, medicum ad se missum quærebat, an matrimonio sibi jungi vellet.

re. Hi igitur, quibus umbra rationis adhuc supereft, si contra leges agant, delinquent quidem, sed quam minime, et culpa magis quam dolo. Id tamen in summe stupidis attendendum censemus, utrumne committendo an omittendo peccaverint. Omissionis enim licet aliquando major esse queat turpitudo ac noxetas; id tamen raro contingit, regulariter autem omissione tantum in mera oblivione, vel inanimadventitia, quæ veluti nativum atque inemendabile stupidorum vitium est; commissio autem in facinore consistit, et maiorem, quam omissione, attentionem requirit. Hos tandem infelices excipiunt alii minus infortunati, mere *simplices*, qui non adeo magno judicio pollent, nec magnis atque arduis negotiis sufficiunt, actiones tamen suas quotidianas dirigere possunt. Hi boni præstantiam non usquequaque perspectam habent, malorum tamen pœnas præsentire veluti ac metuere valent. Quibus iterum subjungendi videntur *rudes*, live illi, qui naturam non habuerunt novercam, neque nativa ingenii bonitate destituuntur, licet informatio atque instructio singularis ad effingendas animi dotes haud accesserint. Minime ergo gentium æque excusandi sunt, ac illi, qui fati quasi infelicitate propter innatum stuporem peccarunt. Neque etiam peculiari doctrina opus est, ut homicidiorum, furtorum, adulteriorum pravitatem agnoscamus, cum quod quilibet vitam suam et res suas illætas esse cupiat; tum quod passim furum atque homicidarum publice punitorum prostant exempla, quæ per sensionem quasi quilibet, quid in his partibus officii sit, admonent.

### § XVII

#### GRADVS DELICTORVM EX MOTIVORVM MVLTITVDINE.

Quæ hactenus tractavimus, satis ostendunt, eo majorem esse moralitatem, quo facilior reflexio atque inde quo major perspi-

perspicuitatis gradus obtineri possit. Adjiciamus igitur novum consectorium: *Quo plura et fortiora sunt agenti motiva delictum non patrandi, eo major erit ejus moralitas.* Quæ regula non ex allegata solum ratione, sed inde etiam patet, quod his positis eo facilius erat turpe istud facinus, quod admisimus, evitare. Adeo etiam omni mortalium generi veritas hujus rei illuxit, ut speciales casus quam plurimos leges nostræ loquantur, quos recensere non erit operam perdidisse. Prima, quam hunc in finem ponimus, regula est: *delictum eo gravius est, quo majoris et perniciosioris exempli est (a).* Egregie igitur Cicero: *(b) Non tantum mali est peccare principes, (quamquam est hoc magnum per se ipsum malum,) quantum illud, quod permulti imitatores principum existant.* -- Quo perniciolius de republica merentur principes vitioli, quod non solum vicia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem; neque solum obsunt, quod ipsi corrumpuntur, plusque exemplo quam peccato nocent. Sic idem porro specie delictum a sacerdote commissum gravius censetur eo, quod ab alio patratum, cum iste suo exemplo ad sanctimoniam morum aliis præire debeat *(c).*

Denique

*(a)* Exemplum enim malum quam maxime vitandum esse ex. L. 3. §. 2. ff. ad Leg. Corn. de Sicar. et L. 38. §. 5. ff. de penis appetit, quippe in quarum priori hæc sunt: "Sed ex „senatus consulto relegari iussa est „ea, quæ non quidem malo animo, „sed malo exemplo medicamentum „ad conceptionem dedit, ex quo ea, „quæ acceperat, decesserit.

*(b)* De Legibus L. III. c. 14. In de et Iuvenalis in satyr. VIII. 140.

Omne animi vitium tanto conspectius in fe

Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.

Facit et huic illud, quod est apud PLAVTVM Bacchid. act. 5. sc. 2.

Hi senes nisi fuissent nihiljam inde ab adolescentia, Non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capitibus.

*(c)* Exinde etiam homines generaliter prolapia conspicui delinquentes tantum abest, ut ob nobilitatem excusentur, ut potius gravius vulgo peccare videantur. Illi qui contrarium ex legibus 6. pr. ff. ad L. Iul. pecul. L. 4. §. 1. ff. de inc. ruin. naufr. L. 6. pr. ff. de extr. crim. & L. 3. §. 5. ff. ad L. CORN. de sica-

riis,

E

Denique et illius delicti, quod prima vice, dum hactenus in cognitione esset, in civitate committitur, exemplum perniciens est, quam aliorum criminum jamjam solitorum. Non enim ibi consistunt exempla, unde coeperunt, sed quamvis in tenuem recepta tramitem, latissime evagandi sibi viam faciunt (a). Alterum ex principio generali facile derivandum axioma respicit nexum singularem, quo quis cum persona per delictum læsa jungitur. Hic enim quo *arctior est*, quo *ve fortiores continet erga lesum obligationes*, eo *atrocis crimen videtur*. Et hoc sane respectu crimen læsa majestatis divinae gravissimum atque omnium delictorum maximum esse videatur, quum major certe dependentia nequeat animo effungi, quam quæ Deum inter atque homines deprehenditur. Satis igitur graphicè blasphemiam describit Decianus: (b) *Quid naturæ magis adversum, quam ut res creata contra creatorem insurgat, et lingua, cæteris qua præstamus animalibus, illum offendat, qui nobis dedit, ut loqui possimus.* Sequitur proxime crimen læsa majestatis humanæ, quippe cum imperanti non officia solum hominis communia, sed et propria, quæ ex statu subjectionis descendunt, præstare debeamus (c). Pertinent ad eundem censum et graviora sunt delicta, quæ parentes et liberi adversus semet ipsos admittunt; illi enim præter officiorum communium violationem, contra instinctum illum naturalem erga procreatos agunt; hi vero contra eos, a quibus omnia fere obtinuerunt, furere videntur. Resperxerunt hanc atrocitatem leges positivæ, si parentes liberos

et  
et

riis, contendunt, notare debent, ex diversitate poenarum non valere conclusionem ad diversitatem atque inæqualitatem malitiæ. vid. etiam L. 8. C. de episc. et cler. & L. 13. §. 8. C. de jud.

(a) VELLEIVS Paterc. L. II. c. 3.

Bene etiam inde ARISTOTELES I. Rhet. 14: „Argis poenam in eum statuunt, qui causam legi ferendæ dedit et propter quem ædificatus est carcer.“

(b) in tr. crim. lib. 6. c. 3.

(c) L. 5. Cod. ad L. Iul. majest.

et vice versa interficiant (*a*). Incestus quoque inter parentes et liberos infandum scelus astimatur (*b*). Et qui parens filiam lucri causa prostituit, gravius, quam alii lenocinium exercentes, punitur (*c*). Sic et delicta inter cognatos, conjuges et affines patrata qualitate gravante laborant. Cædes leverius puniuntur (*d*), quam inter personas extraneas. Spectat huc quoque nexus inter magistratum et subjectos ejus potestati; quorum scilicet injuria adversus illum suscepit durius coercentur (*e*). Concionatori a paroecis, à rustico homini generosæ profaciæ illata læsio gravior est (*f*). Plane vis illata personæ publicæ immanius delictum habetur, quam quæ homini privato facta est (*g*). Homines etiam in re fidei ipsorum commissa et contrâ eum, qui fiduciam suam in probitate atque amicitia (*h*) ipsorum collocavit, peccantes, hoc sane intuitu leges vehementius violant, et longius ab illarum norma recedunt, quam quidem alii. Illustreremus rem iterum exemplis a jure nostro comprobatis. Commentariensis, qui in carcere feminam quandam cognovit, acrius quam alii constupratores punitur, quin is quoque si reum carceri dolose eximat, eadem, qua reus afficiendus erat, poena tenetur (*i*): aliter ac alii, qui reum carcere liberant, neque vi adhibita neque collectis hominibus. Furtum quoque et homicidium, quod a famulis erga dominum commissum est, gravius, quam aliud punitur, et qui tutor pupillam suam vitiavit, deportatur, ejusque bona confiscantur (*k*), quippe cuius officium erat defendere pupil-

lam

(*a*) L. 9. pr. ff. ad L. POMPEI. et  
C. C. C. art. 131.

(*b*) ESAIAS PVFFEND. l.c. §.31.

(*c*) C. C. C. art. 122.

(*d*) L. 9. §. 1. ff. ad L. POMPEI. de  
Parricid. et C. C. C. art. 137. de ma-  
rito uxorem suam prostituente, vide  
sis C. C. C. art. 122.

(*e*) L. 42. ff. de injuriis.

(*f*) §. 9. Inst. de injur.

(*g*) §. 8. 1. de publ. judic.

(*h*) Pulchre hanc in rem ait PET-  
RONIUS c. 107: "Qui ignotos læ-  
dit, latro appellatur; qui amicos,  
paulo minus, quam parricida."

(*i*) C. C. C. art. 180.

(*k*) L. un. C. si quis eum cujus tut.

Iam ab injuria, non qui eam ipse injuria afficiat. Militibus reipublicæ securitas magis commendata esse debet, quam reliquis civibus. Unde et constitutio juris civilis satis notatu digna est in L. XIII. ff. de poenis: *quedam delicta pagano aut nullam aut leviorem poenam irrogant; militi vero gravirem (a).* Cives arctiori ad implendas leges vinculo ligantur, quam extranei, ideoque etiam gravius delinquent. Egregie hanc in rem *LYSTIAS* differit: *(b) Severiores o Atheniensis, preberere vos debetis civibus, quam peregrinis sacra polluentibus, quod horum quasi alienum videatur peccatum, illorum vero domesticum et intestinum.*

## § XVIII

## CONTINVATIO

## DE LOCO DELICTI MORALITATEM AGGRAVANTE.

Locum sæpius novas delictum non committendi suppeditare rationes vel me non monente Leges nostra jam innunt. His igitur consentientibus sequentes formavimus regulas:

*I.* Idem crimen in loco publico et coram arbitris commissum gravius est, quam quod occultare quis studet, tum quod quæ teguntur, saltim exemplo minus noceant; tum quod valde intensa judicetur fuisse malitia ejus, qui peccatum suum ostentat neque honestorum hominum conspectum oculosque veretur (*c*).

*II.* Si ædificia respicis, leges injurias graviores dicunt, si in templo factæ, quia hic locus cultui divino, aut uti Imperator ait (*d*), Deo dicatus et sacratus est. Quapropter et furtum in loco sacro commissum atrocius videtur, quam

quod

(a) Conspirat etiam L. 7. §. 4. ff. ad Leg. **IVL. MAI.** vi cuius crimen leææ majestatis acrius vindicatur in milite.

(b) Orat. III.

(c) v. L. 7. §. 8. D. de injur. et famos. libel. ubi: "nam prætoris in conspectu an in solitudine injuria

, facta sit, multum interesse ait: quia atrocior est, quæ in conspectu fiat; atque L. 9. §. I. Sed et si in theatro, vel in foro cædit et vulnerat, quanquam non atrociter, atrocem injuriam facit".

(d) §. 8. L. de R. D.

quod in loco profano (*a*). Sic quoque aulæ sedesve principum a delinquendo ulterius absterre debent (*b*). Referunt huic quoque castra atque aggeres locorum munitorum, curias ci-vitatum vel ædes privilegiatas, (die gefreyete Hœfe oder Cent-freye Häuser), nec non collegia quædam academiarum et Gym-nasiorum (*c*). Sic et vis, quæ in suis cuique fit ædibus, atro-cior habetur, cum hæ tutissima debeat esse præsidia (*d*). Do-mum autem accipit Iustinianus (*e*), sive in propria domo quis habitet, sive in conducta, sive gratis, sive hospitio receptus sit. Quin et qui furandi animo se in aliena coenacula diri-gunt, acrius, quam reliqui fures plectendi sunt (*f*). Bal-nearios etiam fures gravius puniendos jubet jus nostrum (*g*). In incendii quoque crimen multum interest, utrum illud in urbe excitatum sit, an in casis rusticis et in pago: ibi enim gravius ex incendio damnum existere potest, propterea, quod contiguæ ædes sibique vicinæ, aliter ac in pagis, quorum ædi-ficia nulla sunt contigua.

*III.* Majores etiam adsunt causæ, ob quas res, quæ in certo loco custodiri ita nequeunt, ut immunes atque exemptæ fint ab expilatione, violare non debeamus: salute quippe ci-vitatis tam laxam custodiām præcipiente. Gravissimæ ergo lassiones et furta in hisce rebus commissa videntur. Sic si quis ligna in flumine natantia, ruri aratra atque alia instrumenta rusticæ spoliaverit, inverterit, corruperit, id gravius reputari docet experientia (*b*). Decidi jam inde potest Doctorum con-troversia, quorum pars dicunt referre in furto qualificato ædes in urbe quadam, an casæ rusticæ effactæ vel conlensis fuerint, neque in hac extrema specie furtum qualificatum existere,

pars

(*a*) C. C. C. art. 172.(*d*) L. 18. D. de in jus vocando.(*b*) §. 9. I. de injur. vid. HERING  
de jure Burgorum c. 1. concil. 52.  
n. 723.(*e*) §. 8. I. de injur.(*c*) MAGERV de Advoc. arm. c.  
15. n. 95.(*f*) L. 7. D. de extraord. crim.(*g*) L. 1. D. de fur. baln.(*h*) Land-Recht Lib. II. art. 13.

pars vero in omnia alia abit. Si autem dicendum, quod sentiamus, non abs re erit probare, distinctionem illam bene perspecta legum ratione non habere locum. Primo enim a legislatore illa probata non est, et dein constitutio illa criminalis æque casis et fugioliis rusticorum aliorumque ruri habitantium prospicere voluit, quam locupletioribus, qui in urbe habitent. Quin in casu quadam rusticci pauperculi commissum gravius sane est, quam quod in urbe fit, propterea, quod ruri difficultius præcaveri possint furta, quam in urbe quidem, ubi major hominum copia adest, unde rusticorum quoque saluti ea in re magis providere e republica videtur. Atque inde venit, quod **CVIACIVS** (a) probet in agris furem nocturnum quoquo modo occidi posse, quod in agris fur difficultius prehendatur majorque in iis grassandi facultas fit.

## XIX

## DE TEMPORE.

Præterea et tempore nova nobis addi a delictis abstinenti motiva, vix erunt qui negent. Sic qui profecta die inebriatur, ceteris paribus minus adimitit crimen, quam qui tempore precibus peculiariter dicato helluatur. Sunt autem duo casus, quos leges nostræ præsertim in hac materia definiverunt.

I. Delictum noctu perpetratum certo respectu gravius, certo etiam levius est, quam quod illicente die commissum deprehenditur. Atrocity macula vel inde notatur, quoniam læsionem diurnam facilius possimus avertire, quam quidem nocturnam. Ex legibus sane XII. tabularum prostat hujus rei probatio (b). *Si nox furtum factum sit, si in aliquis occisit, jure cæsus esto.* Quin rigorem decem virorum per leges subtequentes sic temperatum legimus: ut id ipsum ad furem cum clamore testificetur; (c) et tandem adjectum est illud: *si parcere ei sine periculo suo non potuit* (d). Furem vero

diur-

(a) Obs. L. 14. tit. 15.

(b) v. MACROBIUS L. I. Sat. c. 4.

(c) L. 4. D. ad L. Aquil.

(d) L. 9. D. ad L. CORN. de Sicariis.

diurnum aliter occidere non licet, quam si telo se defendat. (a) Pertinent huc etiam nocturni effractores, qui atrociores dicuntur (b), et ideo hi fustibus cæsi in metallum dari solent: diurni vero effractores post fustium castigationem in opus perpetuum vel temporarium dandi sunt. Mitigantem tamen etiam delicta nocturna præ se ferunt speciem, quum is, qui tenebras ad peccandum querit, non eo usque in animi malignitate processisse videatur, quam qui media luce aliorum possessiones et corpora invadit.

II. Delicta incendiorum, ruinæ, naufragij tempore patrata graviora sunt, quam quæ alias suscipiuntur. Atque si quid in his casibus raptum, receptumve dolo malo et damni quid in his rebus dedisse dicetur: in quadruplo in anno, quo primum de eare experiundi potestas fuerit: post annum in simplum judicium dabat prætor (c). Hujus edicti utilitas evidens et justissima severitas est: siquidem publice interest, nihil rapi ex hujusmodi casibus. Ex *incendio* quemadmodum accipimus? utrum ex ipso igne, an vero ex eo loco, ubi incendium fit? et melius sic accipietur, propter incendium, hoc est propter tumultum incendi vel trepidationem incendi rapit: quemadmodum solemus dicere in bello amissum, quod propter causam belli amittitur. Proinde si ex adjacentibus prædiis, ubi incendium fiebat, raptum quid fit, dicendum sit edicto locum esse: quia verum est ex incendio rapi. Item *ruinæ* appellatio refertur ad tempus, quo ruina fit: non tantum si ex his, quæ ruerunt, tulerit quis: sed etiam si ex adjacentibus. Item ait prætor, si quid ex naufragio. Hic illud queritur: utrum si quis eo tempore tulerit, quo naufragium fit? an vero et si alio tempore, hoc est post naufragium? nam res ex naufragio etiam hæ dicuntur, quæ in littore post naufragium jacent? Et magis est ut eo tempore.

Alte-

(a) Cit. I. 4. §. 1. D. ad L. Aquil. et L. 54. §. 2. D. de furt.

(b) L. 2. D. de effract. et expil. (c) L. 1. D. de incend. ruin naufr.

Alterum, quod ex legibus deducemus, exemplum, concernit depositum miserabile, de quo Prator: (a) quod neque tumultus, neque incendii, neque ruinæ, neque naufragii causa depositum sit, in simplum, ex earum autem rerum quæ supra comprehensione sunt, in ipsum in duplum: in heredem ejus, quod dolo malo ejus factum esse dicetur, qui mortuus sit, in simplum: quod ipsius: in duplum judicium dabo. Hæc separatio causarum fatente V L P I A N O justam rationem habet: quippe quam quis fidem elegit, nec depositum redditur, contentus esse debet simplo: cum vero extante necessitate deponat, crescit perfidia crimen: et publica utilitas coercenda est vindicandæ reipublicæ causa: est enim inutile in causis hujusmodi fidem strangere.

## § XX

## DE EVENTV.

Quum ex multitudine et quantitate consequentialiorum malorum, quæ ex criminè propullulant, desumi debeant motiva, seu non agendi rationes; vides, et hoc respectu delicta eo graviora esse, quo pejorem eventum habuerint, si modo delinquens illum aliquo saltim modo prævidere potuerit. Inde non solum considerantur damna, quæ ex actu illo criminoso directe, sed et quæ verosimiliter secutura judicantur, ut in incendio et per fosso aggere multorum summæ calamitates et mortes quoque spectandæ sunt. Pertinet huc etiam quæstio de eo, qui animum vulnerandi habuit, sed præter animi intentionem alterum occidit; item, si quis poculum amatorium cuidam dederit, isque inde perierit. Hoc enim casu delinquens et si animum delinquendi non habuerit, ultimo supplicio afficitur (b). Eadem ratione, si quis armata manu collectisque hominibus alium de possessione sua dejeccerit inque ea turba homo occisus sit, auctor turbæ capite plectitur (c). Quodsi autem

(a) L. I. Depositū vel contra.

(b) L. 38. §. 5. D. de poen.

(c) L. 6. Cod. ad L. IuL. de vi publ.

autem infelior delicti éventus ne ulla quidem arte adhibita prævideri potuerit, aut etiam per casum quendam modo inciderit, delicti moralitatem in se spectatam aggravare nequit.

## § XXI

DE QVANTITATE MORALITATIS EX GRADU  
PERSPICUITATIS, QVO QVIS REVERA  
DELIQUIT,

Hactenus de iis unice locuti sumus, quæ movere possunt alterius animum, ut attendat ad factum producendum ejusque conséquutiones sibi quasi speculo repræsentatas ob oculos sistat. Nunc autem de meditatione revera adhibita sermo nobis erit. Patet inde formula: *Quo major delictum præcessit delibratio; eo majus est.* Quum autem si dolose agimus, saltim sciamus, nos contra leges peccare, ideoque et factum et normam, cui adversatur, animo nobis fingamus, nemo negabit, majorem perspicuitatis gradum dolo inesse, quam culpa, qua admissa nescimus vel factum, vel leges, quæ agendo violata sunt, licet observari potuissent (a). Quoniam vero

etiam

(a) Probaremus hanc regulam legum nostrarum expressis argumentis; nisi omnes doctorum libri ejus rei tractatione abundarent. Vir per illustris *ESAIAS DE PUFFENDORF.* l. c. §. 21, differentiam inter dolum, lasciviam seu luxuriam et culpam, ex variis juris civilis legibus statuere videtur. Quod an inde probari queat age jam videamus. In L. 4. §. 1. D. ad L. *CORN.* de Sic. ab ipso citata, agitur de eo, qui per lasciviam causa mortis fuit, quippe qui facinus non deportatione aut tanquam pena in dolum statuta ultimo sup-

plicio, sed per relegationem in quinque annos luit. Iam cum de culpa nihil moneatur, satis patet, sub caede ex lascivia commissa intelligi cædem culposam. Altera lex est sexta §. 7. D. de re militari: ubi dolo lascivia his verbis opponitur: *Per vinum aut laeticiam lapsis capitalis pena remittenda est, et militare mutatio irroganda.* Sed quid quæso hac lege innuitur aliud, quam abfuisse intentionem delinquendi, qua tamen re culpa absolvitur essentia. Tertia, qua per illustris dissentiens nititur, ratio continetur in L. undecima D. incend;

F

etiam culpæ atque negligentia in attendendo gradus constituantur; crimen ex culpa lata patratum majus est, quam quod ex levi, et hoc iterum atrocius eo, quod ex levissima evenit (a). Difficile admodum esse culparum gradus definire, non negamus, sed tamen haud prorsus a praxialienum. Exemplum materiam hanc illustrato. Constituamus igitur perill. a P V T F E N D O R F duce l. c. quandam in loco, ubi vulgo iter fit, arborem putare, ramum vero sine intentione ejus decidendo hominem prætereuntem necare. Sane is *culpa latæ* reus erit. Nam proclamandum ei erat, ut prætereuntes cavere sibi

cedend; ubi: "Si fortuito incendium factum sit, venia indiget: nisi tam lata culpa fuit, ut luxuriae aut dolo sit proxima". Ex hoc elucescit, hic luxuriam haberi pro summo gradu culpæ, quod etiam ex nullo alio iuris capite clarius perspicietur, quam ex L. 23. §. 2. D. de ædil. edito. Ita enim ibi V L D I A N V S: "Capitalem fraudem admisisse accipiemus dolo, malo et per nequitiam. Si tandem res ex articulo CXXXVI. Ord. Crim. Carol. evincenda est; haec verba rem proxime concernunt: "Aber dennoch ist mehr Barmherzigkeit bey solchen Entleibungen, die un gefährlich aus *Geilheit* oder *Unvorsichtigkeit*, doch wider des Thæters Willen geschahen, zu haben, dann was arglistig und mit Willen geschieht." Dolum hic non exprimi, patet ex verbis: "doch wider des Thæters Willen." Quilibet enim facile confitebitur, dolum semper supponere, ut alter intentiōnem delinquendi habeat. Sunt igitur ICti, qui ex hoc textu lasciviam

seu luxuriam culpam appellant, quæ doli speciem continet, quæve alias culpa lata, seu crassior, appellatur. Cum enim regulariter nemo in negotiis alicujus momenti negligenter vel imbecillitas regulariter tanta sit, ut vel in crassis et evidentibus rebus hominum mens fallat: verosimilis utique doli suspicio contra oscitantissime agentem emergit. Pertinent huc v. c. homines, qui necem aliorum quidem non intendunt, attamen actionibus suis socordibus insignem animi differentiam erga sanguinem humandum ostendunt. KRESS l. c. ad art. alleg. §. 2. n. 1.

(a) Articulus C. C. C. CXLVI, qui sedes & fundus hujus doctrinæ est, duos tantum culpæ gradus definire videtur, *lasciviam & incuriam*: *Geilheit* und *Unvorsichtigkeit*. At si duas has classes constitutas solas, exemplis, quæ ad neutram possunt referri, obrueris. Divisionem igitur culpæ ex jure civili, in jus quod de criminibus præcipit, recipere nulli dubita-

sibi potuissent (a). Qui proclamavit quidem, sed non in tempore, ut prætereuntes devitare possint ramum decidenteum, *levis culpæ* reus fit. Sed qui in suo fundo, ubi vulgo iter non fit, arborem putat, ramus autem decidendo hominem enecat, is sane culpam *levissimam* committere existimat. Diligentissimus enim quisque eo casu proclamat, quod contingere potest, ut nobis insciis alii homines in fundo nostro ambulent. In abstracto tamen qui hanc illamye circumstantiam ad certum culpæ gradum reducere conantur, plerumque fallunt, quum reliqua, quæ connexa sunt, facti faciem non raro penitus mutant. Sic sunt, qui lasciviam, seu petulantiam, seu luxuriam esse semper latam culpam, falso asserant. Eo enim tantum casu ad hunc censum referri potest, si eadem abreptus solus quid illiciti, ex quo mors oblique secuta est, fecit. Exemplum notatu dignum refert SCHILTERVS (b): Auriga hominem curvui suo impositum vexatus equos ita incitarat, ut ille frustra inclamans et placidam vecturam poscens tandem excusus lapsu rotaque exanimaretur. Verum si quis non solus, sed cum aliis petulantius ludit, atque in hoc communis lascivo lusu causam neci dat, confortes lasciviarum partem culpæ ferunt atque ea parte imperfectorem exonerant (c). Videndum igitur in delictis lascivia jocoque illiberali commissis, an autor joci, an vero provocatus Iesus fit. Quodsi enim prius; culpam tantum levem seu medium lædenti imputarem; sin autem

dubitarunt ICti, quos inter LEV-SERVUM. Sp. 602. adeas quam maxime velim. Errare tamen vel hic etiam l. c. m. 3. videtur, cum supremum culpæ gradum eum dicit, quando quis animum occidendi vulnerandi habuit atque mors etiam, non tamen directe ex vulnere, sed magis ex alia causa interveniente sequuta est. Rectiusne hoc dices de-

lictum verum seu dolosum, sed non consummatum? Dolus enim omnino ex animi intentione, non ex eventu dijudicandus erit.

(a) L. 7. D. ad L. CORN. de Sicar.

(b) Exercitat. Pand. 49. § 124.

(c) vid. SCHILTER, l. c. & Mémoires du Marquis Montglat, Tome 4. campagne 24. p. 166. suiv. ubi exempla illustrantia reperies.

F 2

autem posterius; culpam fere semper latam auctori injuriam facienti tribuendam arbitrarer (*a*).

## § XXII

CONTINVATI<sup>O</sup> ET SPECIATIM DE DOLI  
GRADIBVS.

Esse tamen non solius culpæ, sed doli etiam gradus, nostrum nunc est deimonstrare. Is, qui dolose agit, quicquid agat, haud inscius est; ideoque hoc vel propter se ipsum jam appetit, vel tantum ideo, quoniam æque atque id, quod pri-mario vult, ex actu ipsius potest sequi. Priorem, dolum *di-rectum*, alterum vero *indirectum*, seu ut cum LEYSERO (*b*) loquamur, voluntatem seu animum nocendi dicere fas ac mos est. Duo exempla maxime memorabilia animi occidendi *indirecti* in jure nostro occurunt; unum præbet pontifex: (*c*) *is qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines excedens mutilet vel occidat: cum mandando in culpa fuerit, et hoc evenire posse debuerit cogitare.* Videtur quidem de culposo tantum homicidio sermo esse, ast de tali, quod dolosum per intentionem *indirectam* non excludit, quum culpæ in jure canonico sensus sit quidam generalior. Inspiciendum est nempe armorum genus, quod etiam alibi monet ipse pontifex (*d*). Hoc si ita comparatum est, ut ex eo mors verosimiliter sequi non potuerit, utpote si parvo baculo aliquem percutere jussit, homicidium inde secutum magis culposum dicendum. At si stricto ense vulnerare tertium mandarit, ita tamen ne occideretur, *indirecta voluntate* ad mortem alterius æque concurrit, ac si ipsem alterum invasisset. Alterum exemplum largitur Codex (*e*); vi cuius ultimum

(*a*) LEYSER l. c. m. 13.(*b*) Spec. 603. m. 1. sq. vid. etiam L. I. C. ad Legem CORN. de Sicar.(*c*) c. ult. de homicid. in 6to.(*d*) c. 18. f. X de homicid. volunt.(*e*) L. 6. C. ad L. Iuliam de vi publ.

ultimum supplicium irrogatur ei, qui nec occidere voluit, tumultum tamen, turbam, pugnam vel alium actum, in quo hominem perire posse prævidit, et ubi etiam homo periit, dolo malo concitavit. Quibus præmissis nemo dubitatus est: *dolum directum majorem esse indirecto*. Quod enim directe intenditur, id propter agens agit fortiusque libi et clarus representat. Quod vero indirecto animo suscipitur, id ob suas veneres quispiam non vult, sed vult modo, quatenus ob intentionem directam agere nequit, nisi idem velit. Major itaque intellectus et spontaneitatis in priori, quam in posteriori, est usus. Animitamen in delicto indirecti esse gradus, et sapientius aut ad dolum aut ad culpam proprius accedere, vel inde perspicitur, quoniam, quod indirecte volumus, securum esse, modo magis modo minus verosimile videtur. Sic regulam saltim in voluntate occidendi obliqua probatam reperies; quippe ubi gradus ex instrumento, quo vulnus factum, accurate dijudicari possunt, et jubente Hadriano imperatore dijudicari debent (a). Quo probabilius enim fuit, hominem eo interfici posse, eo manifestior animus, gravior dolus et durius crimen est (b).

## § XXIII

## CONTINVATIO DE DOLO DIRECTO.

Quod nunc ad gradus dolii directi attinet; ex superioribus illi jam deduci poterunt, adeoque demonstrari, illum esse majorem, qui nullo præcedente affectu, seu animi perturbatione committatur. Vedit id sane Carolus, (c) quippe qui homicidas ex impetu atque ira peccantes enle feriendos, alios vero qui deliberato animo occidunt, rota concutiendos jussit. Quoniam tamen gradus deliberationis stabiliri possunt

(a) v. L. I. §. 3. D. ad L. CORN. de Sic.  
(b) v. LEYSER Spec. 604. m. 25. seq.

(c) C. C. C. art. 137.

sunt; exinde derivare juvabit doli atrocitatem. Generatim primo deliberatio eo major erit, quo plura sibi quis actionis sua conjectaria, et quo distinctius eadem sibi representavit (a).

Secundo autem consultatio crescit, quo magis in naturam actionis omnesque ejus qualitates, si ad effectum deducenda est, inquiramus. Deliberato igitur acturi dispicimus:

I. vel tantum de eo, utrum id quod volumus sit producendum; vel etiam

II. de modo, seu quod fieri debeat, ut actionem, quam committere, vel omittere decrevisti ad effectum perducere possis.

Et si hic casus detur

a) aut de circumstantiis singularibus seu particularibus quomodo sit agendum dilquiris.

b) aut generatim tantum nondum spectatis iis, quæ actionem involvere possint, qualitatibus, apud animum tuum constituis,

Nascuntur inde tres gradus deliberationis totidemque doli atque delictorum inde propullulantium.

Illustrationis ergo hoc suppeditemus exemplum. Sit aliquem, qui non habeat, unde vitam toleret, disquirere tantum, utrum furto vita prospiciendum videatur, nec ne; atque omnino primum gradum doli adhibet. Sumas alium, qui postquam furari decreverit, despicit modum, quo propositum auferendi aliena exequatur, licet nondum commoda, animum ad circumstantias singulares avocans, lese offerat occasio; et agit sane dolose in gradu secundo. Quodsi ejusmodi suppeditetur copia, et perpenitis omnibus, quomodo furtum in dato casu committi possit, furtum committatur; tertius et summus doli gradus inde promanabit. Huc pertinet homicidium,

(a) Egregie hoc fundamentum exposuit cel. BOEHM in diss. cit. cuius tamen præcepta ad amissim applicari posse dubitamus.

micidium infidiosum, (a) quod eo majus esse dicunt, si cum spe lucri aut obfessione viæ publicæ conjunctum, sive etiam occiso mors in propria domo illata sit (b).

### § XXIII

## DE QVANTITATE DELICTORVM EX MULTIPLICA- TIONE ACTIONVM LIBERARVM ET SPECIATIM DE CRIMINE REPETITO.

Longum postquam jam peragravimus nefandorum criminum æquor, ad ultimum tandem ipsorum pravitatem definiendi fundamentum delabimur. Sunt autem sequentes, quæ in hanc rem faciunt, propositiones:

I. *Quo frequentius idem delictum ab eodem committitur; eo fit gravius.*

Nam præter damnum, quod inde in rempublicam redundat, atrocius, id hoc loco saltim urgemos, crebriorem hic occur-

rere

(a) Elegans ejus rei exemplum narrat Huetius, in Huetianis, art. 54. "Peu de jours avant notre voyage de Suède, il arriva à Stockholm une étrange avantage. Un jeune homme, qui ne manquoit ni de biens ni de fortunes, et dont la conduite avoit toujours paru assés réglée, prit en plein jour un enfant dans la rue jouant devant la boutique de son père, et lui coupa la gorge. On l'arrêta aussitôt et on le mene devant les juges. Interrogé sur les motifs d'une si mechant action, Messieurs, dit-il, j'avoue mon crime, et je reconnois, que j'ai merité la mort; bien loin de chercher à me justifier, et à obtenir le pardon de ma faute, vous feriez une injustice, si vous me la

pardonniés. J'ai consideré la vie, et j'ai étudié la mort. L'une m'a paru une source de misères et de crimes, l'autre un état d'innocence et de paix. J'ai donc jugé la mort préférable à la vie, et j'ai cherché les moyens de sortir de ce monde. Après beaucoup de reflexions voyant, que je ne pouvois aller au but, ou je tendois, que par un crime, je me suis déterminé à celui, que j'ai commis, comme le moins mechante, et le plus excusable. J'ai tué un enfant dans l'age d'innocence, et je lui ai assuré son salut. J'ai soulagé son père, chargé d'une nombreuse famille et de peu de moyens pour la faire subsister."

(b) vid. LEYSER. Spec. 605. m. 6. seq.

rere libertatis applicationem, quæ tandem in consuetudinem atque agendi habitum degenerat. Negari quidem non potest, crimina propter hunc habitum patrata, quoad consultationis perspicuitatem et principia interna, quæ nos alias arcent a delinquendo, esse leviora. Verum qui ultimum solummodo actum in se spectat, non totum hujus actus ambitum pernoverit, quippe cuius moralitas ab omnibus, quæ præcesserunt, simul summis definitur. Agnoscant ICti hoc nostrum axioma, ideoque prius delictum idem quod in eodem objecto aliquoties repetitur, ut puta si quis cum eadem virgine aliquoties concubuerit pro unico, quod continuatum audit, reputant, atque omnes actus in eandem summam colligunt (a). Secundo etiam in criminis, quod aliquoties, sed in diversis objectis patratur, quodque reiteratum appellant, actuum multitudo ab ipsis legislatoribus spectari solet. Probantur dicta CALLISTATO, (b) qui ita loquitur: *Solent quidam qui vulgo se juvenes appellant, in quibusdam civitatibus turbulentis se acclimationibus popularium accomodare: qui si amplius nihil admiserint, nec ante sint a præside admoniti: iustibus cæsi dimittuntur, aut etiam spectaculis eis interdicuntur: quodsi ita correcti in eisdem reprehendantur, exilio puniendi sunt; nonnunquam capite plectendi: scilicet cum saepius seditiose et turbulentemente se gesserint, et aliquoties adprehensi, tractati clementius, in eadem temeritate propositi perseveraverint (c).* Sic et Caroli V. constitutiones (d) de furto reiterato, institutum nostrum satis confirmant. Quodsi enim fur secunda vice furaatus est, nec tamen res

(a) PETRVS SCHVLZ in dissert. de concursu delictorum. c. 3. §. 6.

(b) L. 28. §. 3. D. de poenis.

(c) Quo etiam referre possis legem Iuliani imperatoris aduersus mendaces apud Libanium in legatione ad Iulianum: "Si quis eorum, qui mecum conversantur, semel

"mentitus fuerit, feram; si denuo idem ausus fuerit, id quoque patiar: quod si tertio convictus fuerit, quod vera non dicat, nondum incurrit in odium, verum si quarto apponit imponere, prohibitus est contubernio."

(d) Art. CLXI. & CLXII.

res utroque furto ablatæ quinque solidorum æstimationem excedant, notanter ab imperatore adjicitur: *so beschwert der erste Diebstahl den andern.* Sin autem bona furtis ablata valorem illum superent, duo illa furta in eandem summam colligi, ac pro eodem magno furto reputari jussit (a). Quum fur tertia vice furatus est, et iudex furta esse facta deprehenderit, fur tanquam *inverteratus famosus* et talis, cuius factum à facinore atrocii furis violenti adeo non differt, (b) punitur. Hæc de repetitione delicti generatim dixisse sufficient. Quoniam tamen et hic diversitas in quantitate moralitatis intercedere potest, speciales nunc quæstiones sunt tractandæ. Primo igitur existimamus, delictum non adeo grave esse, si in continenti aliquoties committatur, quam cum ex aliquo intervallo repetitum sit. Major enim in posteriori talu deliberandi est occasio, ac malitiam, profundiores agentem radices, supponit, quam quidem in priori supponi potest, ubi impetus repetitionem forsitan excusaverit. Secundo autem non abs re erit notare, delictum circa diversa objecta reiteratum majus videri, quam quod in eodem pluries admittitur. Insignior enim iterum ibi, quam hic, inesse debet mentis malitia. Patet ergo: delicta continuata leviora esse reiteratis. Duas hasce regulas si conjunxeris, prodibit tertia: Delictum in diversis objectis diversoque tempore repetitum, atrocius semper erit eo, in quo alterutra tantum qualitas adfuerit. Doctorum consueta interpretationis regula, odiosa esse restringenda et poenam ordinariam de regula requirere dolum sumnum, efficit, ut illud tantum reiteratum furtum dicant, si comprehendat

(a) vid. KRESS ad citat. art. §. 2. cum not.

(b) Art. CLXII. verbis: "das ist „ein mehrer, verleumbdter Dieb, „und; auch einen Vergewaltiger

„gleich geachtet, und soll dann, nemlich der Mann mit dem Strang, und „die Frau mit dem Waffen, oder sonst „in andere Weg, nach jedes Landes Gebrauch, vom Leben zum Todt „gestraft werden.

dat furtarē et tempore diversa (a). Unde, si quis apud eundem hominem, eademque nocte res quasdam e conclavi, quasdam e cella, quasdam e bibliotheca auferat, facinora pro uno furto habentur (b). Tandem nec id a notione communi aberrabit, delictum repetitum detestabilius dicendum esse, si quis jam antea ejus ergo merita pœna castigatus fuerit, quam si impunitatem haçenus est consequutus. Major enim in illo apparet legum contemtus, major dolus, qui, ne motivis quidem a sensu injucundo desuntis, coereeri potuit. Unde et misericordia fratres ICTi quidam in furto saltim secunda vice reiterato volunt, ut sur ob primum furtum jam punitus sit (c), si definita ab imperatore pœna infligatur.

## §. XXV

## CONTINVATIO

DE CRIMINIBVS EX PLVRIBVS ACTIBVS COMPOSITIS  
ET CONCVRRENTIBVS.

Alterum, quod ex tertio eluet fundamento, consistit in sequenti axiomate:

*Delictum eo atrocius est, quo plures continet actus liberos illud constituentes.*

Inde etiam delictum vi quadam accidente commissum, in toto jurisprudentia criminalis ambitu minorem meretur veniam, quam quod sine ea patratur. Primum exemplum est stuprum violentum, qua voce hic, auctore ipso Carolo (d), quemque coitum cum persona honesta coactum, atque ideo etiam adulterium

(a) KRESS l. c. ad art. CLXI, §. 1.

„so jemand einer unverleumbden „Ehefrauen, Wittwen oder Jung-“

(b) MATHAEI de criminibus L. XXXXVII. tit. I. c. 3. n. 11.

„frauen, mit Gewalt ihre jungfräulich oder fräuliche Ehre nehme;“

(c) KRESS l. c. et ad art. CLXII. §. 1. n. 2.

„derselbige Uebelthæter hat das Leben verwirkt.“

(d) C. C. C. art. CXIX, verbis:

terium incestumque vi adhibita commissum, comprehendimus. Alterum propositionis nostræ easum in furto qualificato deprehendes, quod, cum triplici modo, effractione nimirum ædium sine receptaculi, ascensione atque arma ad furtum patrandum afferendo, vis fieri possit, ipse Legislator triplex esse justit (a). Quum etiam in ipsis hisce actibus violentis gradus esse, immo illi minus magisve compositi esse atque omnes simul conflari, quid? quod et coadunari ejus ergo possint homines; vides, qua ratione etiam in hoc fundamento moralitas mirum in modum sèpius augeatur (b). Ex eodem tandem fonte id quoque derivari crediderim, delictum, quod multis et longe ponderatis machinationibus, per intermedias plures personas committatur, sine dubio majus esse ejusdem generis crimine, quod tot non comitentur circumstantiæ. Ultimum vero, quod huic materiæ subiectere juvat, confessarium ostendit criminum diversi generis concursum, ob repetitam libertatis applicationem, non solum simplici atque unico delicto, sed et delicto continuato et reiterato, interdum (c) graviorem videri. Delictum enim semel patratum repetere, non adeo magnam requirit mentis deliberationem, quam id prima vice sufficiere, quod nondum patravimus.

## § XXVI

## DE IMPVTATIONE FACTI ALIENI.

Hactenus de fontibus moralitatis, ex quibus imputations theoria facillime deducitur. Delictum enim alteri imputatur,

(a) C. C. C. art. 159. "So aber „ein Dieb in vorgemeldtem Stehlen, „jemand bey Tag oder Nacht in sei- „ner Behaftung oder Behaltung „bricht, oder freigt, oder mit Waf- „fen, damit er jemand, der ihm Wi- „derstand thun wollte, verletzen „möchte, zum stehlen eingehet."

(b) Ob hanc forsan causam, misericors ille delinquentium judex CARPOVIVS, prax. Crim. qu. 79. has circumstantias, conjunctim sumtas, ad furtum qualificatum postulat.

(c) Nempe si delicta, quæ concurrunt, non sint leviora delicto illo principali, sed vel paria, vel majora.

tatur, si istum criminis auctorem, sive causam liberam, prædicavero. Quo magis igitur delictum ad alterius libertatem referri potest, seu quo insignior est moralitas; eo major erit imputationis gradus. Quoniam autem hoc usque de factis tantum propriis sumus locuti, manca atque imperfecta mansura esset nostra tractatio, nisi paucis saltim de imputatione facti alieni ejusque quantitate edissereremus. Id tamen persuasum mihi habuerim, aliorum delicta non aliter, quam si a nostra voluntate pendeant, hoc est, aliquatenus nostra sint, nobis unquam tribui. Inde theses luce meridiana clariores, sed consecutariorum sterilitate non laborantes:

I. *Quo magis propria actio agenti imputanda; eo magis etiam imputandum delictum alienum, quod ab eodem pendet.*  
Repeti igitur et hic omnia possunt, quæ supra de moralitate investiganda tradidimus. Concursum ad alterius facta nefanda proinde quo magis contingens, quo excellentior cognitionis perspicuitas, qua præludente fieri solet, et quo plures continent actus liberos; eo major est.

II. *Quo magis factum alienum a voluntate tua pendet, h. e. quo minus delinquens sine te facinus patraset; eo magis tibi imputatur.*

Ex quo id necessario efficitur, ut alter ex concursu nostro, quem sibi repræsentat, rationes agendi sumere debeat. Quod si enim non sit, revera non concurrimus, licet concurrere voluerimus. Errant proinde, qui statuunt, etiam delicto jam commisso adhuc accedere posse concursum; v. c. ut delinquenti receptum præbeamus, illum occultemus, fileamus et quæ sunt reliqua. Verum enim vero negare non lubet hæc facta nobis imputari posse; sed negamus, delictum antea commissum ad nostram pertinere libertatem, nisi alter ante patrandum crimen, ex promissione nostra tacita &que atque expressa aut etiam alio nostro facto, rationes et motiva sumserit crimen committendi.

Hæc

Hæc principia gradus imputationis criminum alienorum satis definiunt; quod in sequentibus uberior ostendemus.

## § XXVII

GRADVS IMPVTATIONIS QVOD AD  
FACTA ALIENA.

Nostrum quidem non est, fuse de modis concurrendi præcipere, quippe quod inter multos, illustres duumviri,  
**GEBÄVERVS** (*a*) et **DARIESIVS** (*b*), optime peregerunt; ast generatim tamen illos recensere, atque ad justum Systema redigere, institutum postulat. Concurrit autem aliquis ad delinquendum, vel positive seu committendo, vel negative seu omittendo. *Prius* fit triplici modo. Nempe I. præser-tim per actum, quo declaramus, nos velle, ut alter delictum suscipiat; uti si mandemus, jubeamus, adhortemur, commi-nemur, palpemus, consentiamus. II. per actum, quo intellectum alterius instruimus, nempe consilium præbendo, et delicti hactenus ignorati notitiam in altero excitando. III. per vires nostri corporis, utputa, si auxilium alteri feramus, arma exhibeamus, excubias habeamus receptumque largiamur. *Posteriori modo*, seu per omissionem concursus patratur non revelando, non impediendo, cum impediri potuisset, deli-ctum, connivendo et non puniendo: Omnia tamen hæc, uti sub finem § præcedentis monitum est, ita comparata esse debent, ut delictum commissurus ante executum facinus motiva inde desumferit hoc vel admittendi, vel alio saltim modo, quam quo alias illud admissum fuisset. His præmonitis age jam gradus nefandi illius concursus constituamus:

I. Quæstio ponitur: *An concursus positivus major sit ne-gativo?*

## Responso

(*a*) In speciali Dissert. de impu-tatione facti alieni circa delicta, Lip-siæ MDCCXXVI. habita.

(*b*) in observ. I. N. obf. 45.

Responsio ne anceps sed satis definita videatur; duo characteres sunt distinguendi, nempe factum externum, et animi propositum. Illud in concursu, qui committendo se exserit, maius est; quod ad mentis vero malitiam attinet, generale nihil pronunciari potest; sed ex singularibus, quibus factum obvium, sive positivum, sive negativum, implicatur, qualitatibus, dirimendum existimo. Hanc igitur ob rem delabimur ad axioma

*II. Culpoſe concurrens non adeo delinquit, quam qui dolofe.*

Sic, si custos armorum, militi arma, quæ illum alienaturum esse haud ignorat, dederit, in majori est reatu, quam si hujus propositi, quod miles concepit, expers, arma militi commisit non suo tempore (a). Huc et referri possunt, qui in eligenda persona, per quam sua negotia tractent, imprudentius egerunt. His enim delicta a præpositis in negotio commissio patrata, omnino quidem, sed non adeo imputantur, quam si singulatum præposito delinquendi auctor fuisset (b).

*III. Delictum alienum jubenti (c) magis imputatur, quam suadenti (d), laudanti et consentienti.*

Quodsi enim jubes alterum, ut agat, in arbitrio ejus non relinquis, utrum agere velit, nec ne, sed serio vis ut agat; ast ubi actionem suades, laudas aut consentis, in ejus potestate omnia collocas, et si tibi magis arrideat, si voluntatem tuam exequatur. Pendet igitur alterius crimen magis a libertate tua in casu priori, quam in posteriori. Ex eadem fere ratione id, quod de jubente diximus, ad mandantem applicabitur. Hic enim etiam expresse vult, ut alter faciat, licet pacto id quærat

(a) vid. L. 14. §. fin. D. de re militari.

(b) vid. L. 12. C. de acquir. & retin. possess.

(c) Inde in L. 169. D. de reg. jur.

ille damnum dare dicitur, qui jubet dare.

(d) L. 5. pr. C. ad L. Iul. maj. Exemplum etiam hujus rei est L. 20. C. de furt.

quarat efficere, quod jubens jussu suo procurare conatur (a). Major tamen semper concursus est, si mercedem alteri promittis, quam si gratis id, quod vis, peracturus est. Ibi enim majora ipsi suppeditas motiva, quam quidem hic.

III. *Immo major est concursus ad delictum alienum, si is, qui jubendi jus habuit, jubeat, quam si alius.*

Quum etenim jus jubendi habeas; illum, cui præcipis, fortiora circumstant motiva externa: ideoque concurris vehementius ad delictum, quod ille jussu tuo committit, quam si potestati tuæ non fuisset subjectus. Ponamus, patrem præcipere filio, ut alteri damnum quoddam inferat. Quoniam pater filium non obsequente plagis afficere potest, et si jure suo, seu patria potestate abusus, filius plagas metuens facilius permovetur, ut faciat, quod non ficeret, utut alias juberet, qui nullum in ipsum' jus habet.

V. Quum supra suse deduxerimus, minas atque timorem inde incussum vehementius impellere hominum animos, quam præmia oblata; vides, cur comminaturus magis ad factum illicitum ab altero patrandum concurrat, quam si præmis propositis, aut præcipiendo, mandando, abortando, ac palpando rationes agendi suppeditaverit. Generale inde fere deduci poterit principium: moralitatem ex una parte minui dum ex altera crescat. Quum enim ad delictum patrandum plures concurrant, omnes simul sumti causam seu auctorem constituant. Singularis hujus axiomatis consecutio est: nihil imputandum esse patranti, si per ipsum non stetit, quo evitaret delictum, dum alter cogendo instaret. Tunc etenim ipsius concursus

(a) vid. § II. I. de injur. L. 15. §. 8. 10. L. 17. §. 2. D. eodem. Illustrum exemplum est in assassinio, ubi assassinus æque atque assassinator cede secura pari poena afficiuntur, quod etiam in homicidio, incendio,

latrocinio obtinet. CARPZ. P. I. qu. 19. n. 15. Nihil enim interest, an occidat, an causam mortis præbeat. L. 3. et 15. ad L. CORN. de Sicar. L. 37. D. Aquil.

concursum ad nihilum reducitur ideoque tota summa est penes cogentem.

VI. Delictum alienum in idem tibi consentienti ubi alter consensum tuum requirit, imputatur; tantum autem magis, si sine tuo consensu quidpiam fieri non potuit.

Primum inde patet, quoniam alter sine consensu tuo agere noluit, tu autem, ut id faceret, volueris. Alterum vel ideo non negabis, quoniam hac sumta hypothesi penes te magis stetit, ut impediens quo minus faceret. Quo autem non obstante cum consenseris, a voluntate tua quin magis pendeat alterius factum, dubitare nequit, qui consensus et dependentiā perspectam habet notionem. Sic si amicus tuus ex te querit, num velis ut hoc faciat, cum facere nolit, quod ægre ferre posses, consensum tuum requirit. Quodsi igitur consentis, factum ejus ad tuum rite refertur arbitrium. Verum si filius tuus, cui prohibere potes, ne faciat, quod vult, quique te invito nihil facere tenetur, consentientem te ad factum suum optaverit, atque etiam consentias, magis filio, quam amico auctor fuisse videris.

VII. Delictum alienum magis tibi imputatur, si consilium dederis de modo propositum exequendi, quam ubi tantummodo mentem nostram declaramus, num consultum nobis videatur, ut hoc faciat. Ita gravius peccas, si furem docueris, quomodo in dato casu furtum committere possit, quam si ex te querenti dicas, quid tibi videatur, num furandi occasione oblata eam amplecti debeat.

VIII. Immo consulens, qui de consilio dando non fuit requisitus, cuius judicium apud alterum multum valet; qui consilii rationes allegat, magis concurrit, quam ille, in cuius consilio oppositæ sunt qualitates.

Ratio hujus enunciati latet in disparitate motivorum, quibus in priori casu animus alterius magis impellitur, quam quidem in posteriori.

VIII. Si

VIII. Si quis preter modos concurrendi ad alterius delictum, delinquentem adhuc realiter instruxerit, uti si viam monstret, ferramenta, scalas furi commodando (a), domum ad stuprum vel adulterium (b), ad falsam monetam cudentam (c) locando subsidia suppeditet; magis factum alterius illicitum ipsi tribuendum censeo, quam si in nudis verbis substitisset. Eodem fere usi argumento ostendere possemus, illum, qui in ipsa delicti patratione concurrit, magis peccare, quam qui non. Attulimus jam supra hoc etiam pertinentia de societate inter assassinos vel homicidas inita, ubi, uno lethaliter vulnerando, reliqui tamen sua quoque agressione ad facinus concurrunt. Aliud exemplum in diffidationis criminе sese exhibet, qui scilicet literas diffidatorias offert atque affigit, ordinario plerumque supplicio afficitur.

X. Gradus moralitatis major est in socio, qui prævio pacto societatem init, quam in eo, qui pacto haud accidente concurrit. Plures enim adsum actus liberi, major deliberatio, major in socii animum influxus, quam si casu demum ita ferente auxilium ab uno alteri latum sit. Quodsi autem queras, quænam inter ipsos socios moralitatis sit divisio? illam in dubio æqualem esse existimaverim. Quanquam enim omnes, uti in ejusmodi sodalitiis fieri solet, diversas impietatis vices in se suscipiant, eandem tamen animi malitiam, ob conspirationem indeque oriundam criminis patrandi communionem, ostendunt (d). Adjeci: in dubio, seu nisi singulares, quibus factum involvitur, circumstantia, majorem pravitatem ex una parte ostendant. Quum vero magis callidus stupidiorem ad confortium pertraxerit, adeoque fax, auctor et tuba vel etiam rector ministerii iniquitatis sit, ita ut prima criminis admitti molimina, ad eum, tanquam alias ducentem et veluti ad delictum

(a) L. 54. §. 4. D. de furtis.

(b) L. 8. D. ad L. Iul. de adult.

(c) C. C. C. art. CXI.

(d) vid. C. C. C. art. CXXXXVIII.  
CARPZ. qu. 77. n. 33.

lictum pertrahentem, spectent; non dubitaveris, quin ducis illius concursus insignior sit.

XI. *Socius principalis, seu plenus majori semet onerat imputacione, quam adjuvans, sive minus plenus.*

Illius etenim sine concursu delictum plane non patratum esset, quod vero de hoc affirmari nequit (a).

XII. *Socius generalis in majori est reatu, quam specialis.* Nam cum ille ad totum delictum concurrat, hic vero ad ejus tantum partem; dubitare amplius non potes de iis, quæ asseruimus. Sic qui universo furto adstitit, et de lucro etiam participavit, ex legum naturalium et positivarum præcepto durius punitur, quam qui de lucro accepit nihil (b). Inde etiam facile perspicitur, auxiliantis socii, etiam si pacto prævio non conspiraverit (c), eandem esse imputationem, quam alterius, cui succurritur, si modo auxilium morali æstimatione æquipolleat facinori ipsius principaliter delinquentis, ita ut delictum ab auxiliatore non minus, quam ab ipso delinquente processerit. Huc pertinet, si quis e sublimi coenaculo furturo scalas lucri causa attulerit ædibusque admoverit, et, ne ingressus proderetur, excubias egerit, item si parietem pertuderit, murum perforaverit in gratiam communis lucri et furis certo intraturi. Vel si quis, quo facilius Cajus a Titio occideretur, brachia illius strictissime, ne se defendere possit, comprehendenterit. Item si quis puellæ, in quam Mevius stupandi animo irruit, armis minatus terrendi causa adstiterit; dum mulierculæ, maritum e medio clam tollere gestienti, venenum dederit, ac simul, qua ratione, ne miser animadverteret, idem illi propinari possit, commonstraverit.

## CAPVT II

(a) THEODORICI in judicio criminali practico aph. 27. not. c. ibi que præjudicium.

(b) CARPZOV. LXXXVII. n. 19. ubi præjud.

(c) vid. n. X.

CAPVT II.  
DE QVANTITATE POENARVM.

§ I

DE POENA, QVAM DELINQVENS MERETVR.

**Q**uum poena, definiente GROTIo, (a) sit malum passionis, quod alicui infligitur, ob malum actionis, seu privatio boni ob moralem legum violationem; in dijudicanda ipsius justitia non potes non duo secernere fundamenta, nempe *rationem*, ob quam, et *finem*, cujus ergo inferantur. Poenæ ad priorem cardinem relata justa erit mensura moralitatis, qua delictum commissum est, magnitudo. Is enim qui summa cum animi malitia delictum patravit, nulla profecto ratione queri potest, si majus sentiat malum, quam quidem ille, qui mentis pravitate idem facinus admisit (b). Et hanc sane ob causam Papinianus noster (c) poenam *estimationis* nomine appellat. Axioma autem nostrum legibus positivis conveniens esse, præter multos juris civilis textus, in margine (d) omni qua potuimus solertia notatos, per constitutionem Carolinam Articulo CLXXVIII. corroborabimus. Ibi enim dum de delicto attentato loquitur Imperator in sequentia erumpit verba: *Solcher baser Will, daraus erliche Werk als obsteber fol-*

*gen,*

(a) l. c. L. II. c. 20. §. I. n. 1.

(b) Inde HORATIVS I. Sat. 3. v. 78. 79.

cur non  
Ponderibus modulisque suis ratio  
utitur ac res  
Ut queque est ita suppliciis deli-  
cta coërcet.  
Atque idem ibidem v. 117. 118.  
Regula, peccatis que poenas irro-  
gat æquas,

Ne scutica dignum horribile secte-  
re flagello.

(c) L. 41. ff. de poenis.

(d) L. 9. §. 11. L. 11. L. 13. L. 16.  
L. 18. D. de poenis L. 31. D. ad L.  
CORN. de falsis. L. 7. D. repetund.  
L. ult. D. de plagio argum. L. 8.  
C. devi publ. et priv. §. 8. I. de publ.  
jud. arg. L. 4. §. 11. D. de incend.  
ruin. Nov. 82. c. 10.

gen, ist peinlich zu strafen, aber in einem Fall härter  
dann in dem andern, angesehen Gestalt der Sachen. Darum  
sollen solcher Straf halben die Urtheiler wie bernach stehet Raths  
pflegen, wie die an Leib und Leben zu thun gebübret. In sequen-  
tibus autem agit de iis quæ moralitatem minuunt (a), ideo-  
que dicta nostra egregie confirmat.

## § II

## DE FINE POENARVM.

Quum nihil prius nihil antiquius republica civibus vi-  
deri debeat, omnis sane poenarum usus eo debet collineare,  
ut salus civitatis obtineatur, h. e. quo novæ lœsiones præpri-  
mis avertantur. Ea autem obtinere posse crediderim delinquentis emendatione, satisfactione, seu reductione  
lœdentis in talem statum, ut amplius neque lœso neque  
aliis nocere possit, atque exemplo, quo efficitur, ne alii  
conatum delinquendi ad actum perducant (b). Quod igitur

(a) Agit enim artie. CLXXVIII.  
von Uebelthætern die Jugend oder  
anderer Sachen halben ihren Sinn  
nicht haben.

(b) Sunt, qui alias adhuc poena-  
rum fines exculpunt, quos inter LEV-  
SERVM Spec. DCXXXVIII. m. I.  
fqq. primum audire juvat. Sex ille  
fines respiciendos proponit: 1) sa-  
tisfactionem lœsi, 2) pensionem  
mali cum malo, 3) emendationem  
malefici, 4) detractionem virium no-  
cendi, 5) terrorem aliorum, 6) in-  
crementum ærarii seu aliam reipu-  
blicæ utilitatem. Sed quod ad pri-  
mum et quartum, non opus est eos  
distinguere, cum sub satisfactione,

lœso et reipublicæ facienda, jam com-  
prehendantur; tertius et quintus  
cum primo et ultimo, quem nos po-  
suimus, scopo, idem est; incremen-  
tum ærarii atque aliam reipublicæ  
utilitatem, quæ non cum ipsis se-  
curitate proxime conjuncta est, ne-  
mo, nisi fisi patronus, pro fine pœ-  
narum venditabit. De pensatione  
autem mali cum malo si quæstio mo-  
vetur, illam, quatenus meram vin-  
dictam aut expiationem spirat, plane  
rejecimus. Insanum enim videtur,  
quod Theologorum quidam, quibus  
accensendus etiam HOCHSTETTE-  
RVS est in singulari tr. de jure pœ-  
narum §. 4. de justitia quadam ex-  
piatoria

tur ad priorem attinet, superfluum fere existimo demonstrare, emendatione maleficorum civitatis commodo prospectum iri, quippe cum tunc demum summa exspectanda est securitas, quum omnes animum nocendi deposuisse reperiamus. Effici autem interdum animos hominum poenarum passione meliores vel inde patet, quod vitiorum illecebræ facilis extirpari nequeant, quam si dolore quodam subsequentे fapor dulcedinis in amarorem convertatur. Egregie sane in hanc rem SENECA (*a*), qui graphicâ descriptione in partes nostras discedit: *quemadmodum quedam hostilia detorta ut corrigamus adulimus et adactis cuneis non ut frangamus, sed ut explicemus elidimus: sic ingentia vitia dolore corporis animique corrigimus* (*b*). Sed qualis hæc sit emendatio moralis, an civilis tan-

tum,

piatoria somniant. Quærimus ab hisce homunculis, an, cum justitia sit bonitas ex regulis sapientiae administranda, illa unquam malum ideo infligere possit, ut sentiat alter se peccasse, non ut postea peccetur. Ut discant hi homines ab Italo, quod a Germanis olim jam discere potuissent, audiant velim Marchionem Beccaria l.c. §. XII. "Dalla semplice considerazione delle verità fin qui esposte, egli è evidente, che il fine delle pene non è di tormentare, ed affliggere un Essere sensibile, né di disfare un delitto già commesso. Può egli in un corpo politico, che, ben lunghi di agire per passione, è il tranquillo moderatore delle passioni particolari, può egli albergare questa inutile crudeltà strumento del furore e del fanatismo, o dei deboli tiranni? Le strida di un infelice richiamano forse dal tempo,

„che non ritorna, le azioni già consumate? Il fine dunque non è altro, che d'impedire il reo dal far nuovi danni ai suoi Cittadini, e di rimouvere gli altri dal farne uguali." Menfurari tamen subsidia impediendi delicta futura ex præteritis, nemo negabit, et a nobis infra corroborabitur. Formula sententiarum: *ihm zur wohlverdienten Strafe, anderen aber zum abscheulichen Exempel, nihil aliud innuit, quam delinquentem de poena queri non posse, quum eam meruerit, ideoque non finem indicat, sed rationem, ob quam, denotat.*

(*a*) De Ira I. 5.

(*b*) Pertinet huc etiam totus titulus C. de emendatione propinquorum, ubi: *in corrigendis minoribus, pro qualitate delicti, senioribus propinquis tribuimus potestatem, ut, quos ad vitæ decora, domesticā laudis exempla,*

tum, lubet exquirere. *Moralis correctio si obtineatur, inserenda sunt animo distincte boni malique notiones, quæ ipsum eo propellant, ut sua sponte atque ob amorem boni, quem virtus necessario excitat, probis se tantum immisceat actionibus.* Quum autem poenarum irrogatio per se nihil aliud efficiat, quam ut delinquens odium, non erga crimen, sed ejus tantum consequenties concepturus sit; vides, pœnis obtineri solum emendationem civilem (a).

Alterum finem posuimus, ut læsus aliquie a turbationibus delinquentis in posterum securi præstentur (b). *GELLIVS EX TAVRO* (c) hanc speciem sic describit: *cum dignitas auctoritatisve ejus, in quem est peccatum, tuenda est, ne prætermissa animadversio contemtum ejus pariat et honorem levet.* Sed quod de auctoritate læsa dicit, idem de quocunque alio jure læso adstrui potest, quoniam impunitas tam leges, quam legislatorem contemnendi ansam præbet. Tertius finis ille esse videtur, ut alii a delinquendo in posterum deterreantur, atque ita, ut poena unius sit metus multorum.

*exempla non provocant, saltim correctionis medicina compellat.* Expressis etiam verbis L. 20. C. de pœnis, finis nostri mentionem injicit; *Si pœna alicui irrogatur, receptum est commentatio jure, ne ad heredes transeat: cuius rei illa ratio videtur, quod poena constituitur in emendationem hominum: quæ, mortuo eo, in quem constitui videatur, definit.*

(a) Egregie hanc rem exprimit ilustrissimus BECCARIA l. c. §. 6.

(b) Miramur igitur, quod perill de coccei, in GROTI illustrato L. II. c. 20. §. 8. n. 6. hunc finem inde negat, quoniam sèpius, occiso scilicet læso, obtineri nequeat. Eam enim ob rationem quod aliquid non semper obtineri possit, haud sequitur, illud finem esse nequire, et praeterea alterum finis membrum nempe ne alii postea lædantur, semper adhuc effici posse, nemo infitias ibit.

(c) Noct. Att. 6. 14.

### § III

## § III

DE IVSTITIA POENARVM AD FINES  
RELATARVM.

Iam supereft, ut de justa poenarum qualitate, si cum finibus, quos ponendos demonstravimus, comparantur, sermonem instituamus.

I. Ex priori autem scopo satis patet: *omnibus pœnis, si ab ultimo suppicio (a) discesseris, emendationem esse propositam.* Absurdum enim foret emendationis causa aliquem in eum conjicere statum, ubi emendationis specimen nullum exhibere possit. Gradus autem poenarum ex finis hujus qualitate constituendos esse, illi profecto haud negabunt, qui norint, subsidia metienda esse ex scopo, ideoque et pro quantitate malitiae, quæ delinquentis animum invasit, majus minusve malum infligi debere. Sic qui prima vice delinquit, non adeo coercendus est, quam cujus animo inveterata jam peccandi iusedit consuetudo. Quod a Legislatoribus nostris observari, sat ostendunt ipsorum constitutiones, quas inter ad Caroli nostri Artic. CLXI. tantum recurrere lubet. Ita enim: *auch dieselbe zween Diebstahl nicht fünf Gulden wehrt Seyn, so beschwert de erste Diebstahl den andern: darum mag derselbige Dieb an Pranger gestellt und das Land verboten, oder in demselben Zirk oder Ort, darinn er verwirckt hat, ewiglich zu bleiben verstrickt werden. --- Und mag der Dieb in diesen Fall nicht fürtragen, ob er mit dem Diebstahl, als vor vom ersten Diebstahl*

(a) Addit GROTIUS l. c. C. XX.  
§. VII. n. 3. limitationem: *nisi eo modo, quem reductivum vocant, quo negationes reducuntur ad rerum oppositarum genera.* Putat enim melius esse ingenii infanabilibus mortem, quam vitam, si modo constet, vivendo illa ad peiores redditura esse

fruges. Sed limitatio hæc ad rem plane non facit. Questio enim non movetur de eo, an præstet delinquenter supplicio ultimo, an alia ratione punire; sed an pœna, quæ emendationis causa irrogatur, ad mortem usque possit pertingere.

*stahl gemeldet ist, nicht beschreyen oder betreten würde. In furto autem primo parvo omnia leviora esse, patet ex Artic. CLVII et CLVIII.*

II. Alter poenarum finis, satisfactio nempe lœsi atque reipublicæ, id exposcit, ut delinquenti, si emendatio non sufficiat neque certo obtineri possit, vires nocendi adimantur. Ita tamen etiam hic procedendum existimo, ut graviora mala non irrogentur, si leviora ad finem sufficiunt. Istud enim charitati, immo et sapientiæ repugnat, parvi cujusdam rivuli impetum vastis aggeribus impedire, cum postea nihil adsit, quo furorem torrentium avertas; v. c. quodsi ob furtum prium magnum ultimum statim supplicium inferas, quid tibi supererit ad coercenda parricidia, perduelliones et tam multa, quæ media intercedunt? Ad mortem usque poenas tunc dum cum illustrissimo BECCARIA (b) extendendas esse crediderim, si nulla alia ratione lœsi ac totius reipublicæ securitas obtineri queat. Id tamen poenarum justa mensura constitutarum finis exigit, ut certo inferantur, quippe cum mali cujusdam, quod certo eventurum prævidemus, repræsentatio plus semper operabitur, quam multo majus infortunium, cuius existentiam evitare nos posse arbitramur.

III. Ultimus tandem poenarum scopus quo obtineatur, atque alii a similibus delictis deterreantur, in publicis locis poenas irrogandas esse, vel me non monente, jam animadvertes (b). Quo magis igitur delinquentis exemplum nocuit, et quo major deterritio aliorum necessaria est, eo major etiam pena ex hoc fundamento dictanda videtur. Sic, qui primus in civitate delictum hactenus incognitum patrat illudque docet; sine dubio majori poena afficiendus est, quam qui aliquid admittit, quod omnes probe noverunt. Gravius etiam coercendus est quispiam, si delictum admissum frequentius fieri

(a) I. c. §. XXVIII.

(b) L. I. C. ad L. Iul. repet. L. 7.

C. ad L, Fabiam de plagiari.

fieri incipit, quam si raro tantum accidat, quum in priori casu deterritio vel ideo vehementior esse debeat, quod ci-  
vies consuetis hactenus poenis à delinquendo non arce-  
antur.

Hisce igitur finibus satis memoratis nititur quantitas  
immo sàpè etiam qualitas poenarum, et prout isti variant vel  
difficulter obtineri posse creduntur, ita poenæ vel temperandæ,  
vel augendæ erunt (a).

## § III

POENA, QVAM QVIS MERVIT, CONFERTVR CVM  
EA, QVAE EXIGI DEBET.

Ex recta poenæ, quam quis meruit, cum fine ipsius col-  
latione sequentia jam patere existimamus: *Inde quod poena de-*  
*linquenti ob meritum iuste sit constituta, non sequitur, poe-*  
*nam illam quoque esse justam, quatenus exigitur. Poenæ*  
*enim, quam quis meretur, mensura est quantitas moralitatis,*  
*ex præteritis sumenda; poenæ vero iuste exigendæ modus ex*  
*futuris et salute reipublicæ obtainienda definiendus videtur:*  
*quaz duo quippe in se diversa non semper coincidunt. Qua*  
*propter etiam haud raro evenire solet, ut poena exigenda*  
*major sit ea, quam delinquens meretur, interdum vero etiam mi-*  
*nor. Quod posterius variis modis accidere posse satis ostendit*  
*TESMARVS; (b) primo nimirum, si per poenam delictum mi-*  
*nus notum fiat, notius adeoque homines invitent ad peccandum.*  
„Summa enim, SENECA ait (c), prudentia altissimi viri et

,,re-

(a) Hoc, nisi per se clarum esset, statim probaretur ex legibus positivi-  
vis, c. ult. X. ut lit. non contest. Clem. un. de testam. c. 16. vers. a  
capite, distinet. 50. c. I. de sent. et  
re judic. c. significasti 18. X. de ho-

micid. c. qui 10. dist. 38. c. 18. c.

27. qu. I.

(b) in notis ad GROTIUM L. II. c.

20. §. 22. f.

(c) de Clem. I. 23.

„rerum naturæ perifissimi maluerunt, velut incredibile scelus  
 „et ultra audaciam positum præterire, quam dum vindicant,  
 „ostendere, posse fieri. Itaque parricidæ cum lege coeperunt  
 „et illis facinus poena monstravit. Pessimo vero loco pietas  
 „fuit, postquam sèpius culeos vidimus, quam cruces.” Se-  
 cundus casus est, si per poenam excitentur tumultus noceatur-  
 que civitati.

## § V

## QVAE POENA IN LEGIBVS SANCITA VIDEATVR.

Leges nostræ poenales delictis poenam constituunt, ideo-  
 que quæstio moveri potest, qualem? h. e. utrum eam, quam  
 quis meretur, an eam, quæ propter finem exigenda est? Prius  
 præsumendum fore, illustris D ARIES IVS (a) ait, et nos  
 in hac re consentientes habet. Quum enim determinatio re-  
 mediorum, quæ ad fines poenarum, emendationem, exem-  
 plum et satisfactionem obtinendos ducunt, non a qualitate  
 facti, sed a dispositione ac statu delinquentis pendeat; mani-  
 festum est, leges in dubio respicere factum commissum. Si  
 etenim sumis contrarium, nihil habebis, quod cogites de jure  
 aggratiandi, de dispensatione a lege poenali, abolitione, im-  
 mno et de canone sapientum: justum decet clementia. Quodsi  
 vero leges criminales delicti commissi moralitatem spectent,  
 et gradus moralitatis inter plura delicta ex causis compositis  
 et collidentibus sint definiendi; quæritur, quodnam princi-  
 piuum tunc alterum vincat? Decisio impedita quidem videtur,  
 sed cum civibus salus reipublicæ præprimis curæ cordique esse  
 debeat, illud delictum in scala delictorum erit gravius, quod  
 reipublicæ salutem magis turbat, quam alterum, in se forsan  
 ex alio fonte majori moralitate gravatum, ideoque et istud  
 graviori poena coerendum videtur. Sic furtum potest esse  
 actio magis composita, quam rapina, atque igitur ex hoc fun-  
 damento

(a) l. c. Obs. XXXX, §. II.

damento majus delictum, quam rapina. At quia per rapinam salus reipublicæ vehementius violatur, in hac collisione principium nostrum omnino vincit, et rapinam gravius coërcet. Idem dicendum est de furto rei, quæ custodiri ædibus non potuit, et de furto rei, quæ custodita fuit. Fur armis stipat majus delictum committit, quam fur sine iis ingrediens, licet posterius delictum ex pluribus actibus pravis componi queat.

## § VI.

MARCHIONIS BECCARIA DE HAC RE OPINIO  
EXAMINATVR.

Sententia a nobis in commate præcedente proposita sat is innuit:

- I. *In confienda delictorum et poenarum scala, seu condendo juris criminalis codice, omnino spectandam esse delictorum magnitudinem, ex duobus fundamentis, damno scilicet reipublicæ et mentis malitia dimetendam.*
- II. *Quodsi tamen in comparatione duorum delictorum A et B, illud majus damnum involvat, hoc vero ex alio fonte graviorem mentis pravitatem, nihilominus illud majus prædicandum est.*
- III. *In comparandis tamen delictis ejusdem generis, atque cunctis idem damnum producentibus gradus moralitatis unice spectandus erit, ad constituendos gradus.*

Consultum itaque foret, ut poena in primum gradum doli constitueretur, et postea pro quavis circumstantia aggravante decerneretur justa exasperatio. Id v. c. in homicidio a Legislatore Carolo factum deprehendimus Art. CXXXVII, qui homicidium dolosum ex impetu et calore iracundiae perpetratum coërcet; illud vero quod deliberato animo committitur, rota

puniendum jubet. Quo facto iterum observat circumstantias cædem aggravantes, ut si homicida personam gravem atque eminentem, aut dominum suum, aut conjugem, aut proprium consanguineum occiderit; atque harum si qua accedat, delinquentem forcipibus cendentibus adurendum, vel trahere imponendum injungit.

III. Principia autem hæc quum poenas in abstracto definendas præcipiant; summi imperantis semper erit, pro causa concreti qualitate et poenarum fine illas modo augere, modo vero minuere.

Errant igitur, qui solam moralitatem mensuram esse ajunt, errant vero etiam, qui neglecta mentis malitia, omnia ex damno reipublicæ dato dijudicaturi sunt. In posteriorum sententiam discedit illustrissimus Marchio Beccaria (*a*) hisce: *L'Unica e vera misura dei delitti è il danno fatto alla Nazione, e però errarono coloro, che credettero vera misura dei delitti l'intenzione di chi gli commette. Questa dipende dalla impressione attuale degli oggetti, e dalla precedente disposizione della mente: esse variano in tutti gli uomini, e in ciascun uomo, colla velocissima successione delle idee, delle passioni, e delle circostanze. Sarebbe dunque necessario formare non solo un Codice particolare per ciascun Cittadino, ma una nuova legge ad ogni Delitto. Qualche volta gli uomini colla migliore intenzione fanno il maggior male alla società: e alcune altre volte colla più cattiva volontà ne fanno il maggior bene. Ad duo fundamenta ejus objectiones redigi possunt. Primum est, quod mentis malitia non sit fixa satis, quippe in quolibet civi novus codex, et pro quovis delicto nova lex exigi videatur. Verum quis non videt:*

I. Dari

(*a*) I. c. §. VII.

- I. Dari qualitates, quæ, ubicunque sint, delictum aggravent, atque ex his quidem moralitatis gradum in abstracto, ideoque legibus universalibus definiri posse statuimus.
- II. BECCARIA confundit poenam, quæ in abstracto definiri debet, cum ea, quæ pro singularibus, quæ quodvis delictum involvunt, circumstantiis exigenda est. Hanc posteriorem specialem semper exigere principis constitutionem, et ratio, et praxis Germanicæ approbant. In quovis enim delicto principis est pondere, an poena in genere statuta etiam nunc finis propositus obtineri queat.

Alter ratio tanto viro digna esse non videtur, et ad id reddit, quod mortales sæpe ex optima intentione civitati summam calamitatem inferant, sæpius etiam maligno animo, summam civitatis utilitatem promoveant. Vis argumenti ut pateat omnis, notamus:

- I. Damnum, quod sine dolo et culpa ex proba intentione reipublicæ infertur, delictum non est, ideoque et poenam non meretur.
- II. Si vero ad bonam intentionem culpa accedat, delictum est culposum, leviori semper poena coercendum, quam si dolosum esset.
- III. Commodum reipublicæ si mala mente, quæ tamen per actus externos non apparuit, promotum sit, poena ideo locum non habet, quoniam desunt characteres delicti: Sin autem per actus externos apparuit, licet hi, casu interveniente, in salutem civitatis cesserint, nihilominus conatus ille coercendus erit, ne in postrum alia occasione in damnum reipublicæ erumpat.

K

Quid

Quid vero nunc probat illud argumentum? Nostra  
sane sententia confirmatur, nempe: Non solum dam-  
num, sed etiam animum, quo insertur, spectandum esse.

§ VII  
CONCLVSIQ.

Hæc sunt, quæ de delictorum et poenarum justa men-  
sura generatiū monere consultum duxi. Finem itaque huic  
scripti uncule imponens, id tantum rogatum cupio Lectorem  
benivolum, ut, si qua forsan a me, minus recte dicta, vel  
omissa esse intellexerit, id benigne interpretari, meamque  
qualemcumque operam æqui bonique consulere velit.




Kpl 3566

X 2366 416



B.I.G.



IOANNIS IACOBI ANDREAE  
IVRIVM DOCTORIS

REGIAE BRITANNICAE SOCIETATIS TEVTONICAE  
MEMBRI EXTRAORDINARII AC REGII INSTITVTI HISTORICI  
MEMBRI ORDINARII

DE IVSTA  
**DELICTORVM**  
ET POENARVM  
QVANTITATE  
COMMENTATIO



FRANCOFVRTI ET LIPSIÆ  
IN OFFICINA ANDREÆANA  
M DCC LXVIII

Kp 3566